BR
63
F4
v.34

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/scaesariiarelate34unse

Florilegium Patristicum
tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

Bernhardus Geyer
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

Johannes Zellinger
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Monacensi Professor ordinarius

Fasciculus XXXIV

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIII

Caesarius, Saint, bp. of Arles, 470?-543.

S. CAESARII

Arelatensis Episcopi

Regula Sanctarum Virginum

aliaque opuscula ad sanctimoniales directa

ad normam codicum nunc primum edidit

Germanus Morin O.S.B.

adiectis tribus tabulis phototypicis

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIII

CLgA

41612

BR
63
F4
v.34

Imprimatur Coloniae, die 29. Novembris 1932. Dr. David, Vicarius generalis.

BENEDICTAE ABBATISSAE

ET DEO SACRATIS VIRGINIBVS

IN MONASTERIO EICHSTAETTENSI

AD SANCTAM WALBVRGAM

PRAEFATIO.

Iure miretur quis „Regulam sanctarum virginum" a s. Caesario Arelatensi conscriptam, quamvis antiquitate, discretione, omni denique ratione ceteris longe antecellat, quae feminis specialiter adcommodatae sunt, parum diu tamen, idque paucis locis, apud sanctimoniales viguisse. Inde quidem ratio redditur, cur ante saeculum XVII omnibus adeo ignota fuerit, ut viri etiam doctissimi, an umquam ea extiterit, serio dubitarint: donec anno demum 1621 a Stephano Moquot S. I. Pictavi edita est. Quem postea excripserunt Prosper Stellartius et curatores Maximae Bibliothecae veterum patrum, Holstenius quoque, Cointius et Gallandus; at parum diligenter Holstenius, immo is, qui eo e vivis sublato Codicem Regularum in vulgus emisit, crebris locis nempe vel ex libidine mutatis, vel neglegentia deturpatis: quo magis dolendum est, eam editionem hucusque apud omnes quasi normam et exemplum receptam fuisse. Meliorem sane ac pleniorem textum protulerat Antverpiae 1643 Io. Bollandus, cui vero nostra primum aetate laus merita tributa est.

Codices autem manu scripti ipsius Regulae tres omnino, quod scio, et quarti trunca quaedam, ad hoc tempus supersunt; porro singulos hic breviter describam:

M Codex lat. Monacensis 28118 saec. IX in. Fuit olim celeberrimi monasterii Sancti Maximini apud Treveros, et continet unicum, quod superest, exemplar Codicis Regularum a sancto Benedicto Ananiensi abbate confecti. Huius ope Bollandus editionem suam curavit Regulae sanctimonialium a Caesario conscriptae, quae ibi foll. 184–192 habetur. De libro perinsigni breviter et egregie disseruit Heribertus Plenkers in opere, quod inscribitur „Untersuchungen zur Überlieferungsgeschichte der ältesten lateinischen Mönchsregeln" (Quellen und Untersuchungen zur lateinischen Philologie des Mittelalters, I. Bd., 3. Heft, München 1906) p. 4–13. Textum exhibet aliis, ut dixi, et pleniorem et praestantiorem, quamquam hic, sicut in textu Regulae Benedictinae a viris peritis notatum est, „corrigendi libidinem non raro arguunt et menda grammatica ablata et verborum constructiones immutatae". Hunc egomet Monaci anno 1915 tempore belli summa diligentia contuli.

B Bambergensis Msc. lit. 142 [Ed. II. 11] exeunte saec. X in Monasterio inferiore urbis Ratisbonae utilitati monialium, quibus praeerat Uta abbatissa, exaratus. Saeculo autem duodecimo iam alios dominos sortitus erat, monachos coenobii sancti Michaelis Bambergensis a s. Ottone episcopo conditi. Picturis non contemnendis liber conspicuus est, inter quas fol. 65^{r} cernitur SANCTVS CAESARIVS COMMENDANS IVS MONACHABVS. Textus autem cum num. 65 editionis bollandianae concluditur: praeterea multa passim

omissa sunt, vel immutata, multa quoque ex regula benedictina eo consilio interpolata, ut statuta Caesarii cum usibus in parthenone Ratisbonensi tum temporis vigentibus temperaretur. Idcirco variantes lectiones huius codicis tum ego, tum b.m. Iosephus Fessler haud magni primum fecimus: at progrediente aetate comperi, multa quoque in eo ex antiqua et optima traditione profecta, eoque fere uno servata esse, quae etiam vetustioris libri *M* testimonio praeferenda sint, praesertim ubi cum alterutro reliquorum testium *T* et *C* consentiunt. Hunc a Friderico Leitschuh descriptum invenies in opere „Katalog der Handschriften der kgl. Bibliothek zu Bamberg", I. Bd. (Bamberg 1895), p. 292–294; edendae autem Caesarii regulae nemo hucusque adhibuit. Cuius imaginem, ut aiunt, photographicam vir reverendus Dr. Ludovicus Fischer, in studio theologico ipsius urbis professor, mihi faciendam curavit anno proxime elapso 1931.

C Codex Berol. Phillipp. 1696, foll. 141–148, saec. XIII, olim Collegii Claromontani in Universitate Parisiensi, antea autem monialium O.S.B. domus Vallis Profundae in dioecesi Parisiensi, a qua saec. XVII in ipsam Urbem translata celeberrimum Vallis Gratiae coenobium originem duxit. Ex hoc libro, cuius ei ab Iac. Sirmondo facta copia fuerat, Stephanus Moquot anno, ut dixi, 1621 primam Caesarianae regulae editionem in vulgus emisit: cuius textum utique haud ita malum Holstenianae editionis curatores aliique post eos multis locis depravatum vicissim protulere. Ex iis, quae in *M* et apud Bollandum de ordine psallendi in fine leguntur, paucissima in eo reperias, etsi melius illa servata sunt, quae pertinent ad ordinem convivii. Damnum profecto eo minime sarcitur, quod post num. 73 duo capitula 31 et 66 regulae benedictinae intrusa sunt, cellerariae et portanariae monasterii feminarum adcommodata: exinde enim viri quidam doctissimi nostra etiam aetate falso excogitarunt, a Caesario Benedicti scrinia compilata esse, cum e contra potius constet Arelatensis regulam legislatori casinensi notam ab eoque non semel in rem suam libere conversam esse, uti recte adnotavit Domnus Abbas Cuthbertus Butler v. gr. ad prolog. l. 128, cap. 58 l. 58–62 et alibi.

T littera codicem Turonensem 617, immo quae ex eo supersunt paucissima folia designavi. Fuit is saeculo undecimo e quodam exemplari descriptus, cuius origo ab ipso Arelatensi Sancti Caesarii parthenone certo certius repetenda est. Quem, cum adhuc integer esset, in Augustodunensi Sancti Martini coenobio mense septembri 1709 Martenius noster excussit; tempore vero perturbationis gallicae in Maiori Monasterio adservabatur, unde, quae hodiedum extant, reliquiae in bibliothecam civicam tunc translatae sunt. Magni sane facienda sunt haec quantumvis minima fragmenta, cum et textum plerumque probabilem exhibeant, et iis solummodo servatum sit monogramma tum Regulae tum Recapitulationi a Caesario adpositum, una cum subscriptionibus septem episcoporum, qui anno 534 ultimae eiusdem Regulae recensioni assensum praebuere. Sex et viginti folia haud ita accurate descripsit modernus bibliothecae praefectus Collon, t. 37, 1, p. 495 sq. collectionis quae inscribitur „Catalogue général des Manuscrits des . . . départements" (Paris. 1900).

Atqui haec modo de nova editione Regulae s. Caesarii breviter dixisse sufficiat: si quis vero plura scire desideret, dissertatiunculam adeat, quam nuper in ephemeride „Revue Bénédictine" mense ianuario a. 1932, p. 5–20, diversis quaestionibus, quae ad hoc argumentum referuntur, expediendis dedicavi.

Illud tantum lectorem monitum velim, meo me arbitratu textus particulas ad sensum adcommodate distribuisse; nequaquam enim obstrictum me existimavi, ut eas sectiones imitando exprimerem, quas varii amanuenses editoresque excogitarunt: numeros tamen bollandianae editionis, ut legentium utilitati consulerem, mediae etiam aliquando sectioni inserendos curavi.

Praeter Regulam documenta quaedam, quae ipsi in codicibus *M* et *T* annexa sunt, lectorique emolumento esse queant, heic etiam simul exscribere visum est. Insuper Holstenii exemplo opuscula quaedam breviora a Caesario ad sanctimoniales directa ut Regulae adiungerem, duplex me ratio adduxit, quod eorum pleraque intolerabilibus mendis huc usque scaterent, et huic libello nonnihil inde ponderis ac pretii adderetur.

Hanc autem aetatis iam senescentis qualemcumque opellam in nomine Domnae Benedictae Abbatissae ac totius congregationis Monialium, quae Deo et Sanctae Walburgae in civitate Eichstaettensi deserviunt, apparere volui, et quod pulchritudinis formam, quae hic verbis describitur, vita et moribus exprimant, et beneficiorum ergo, quae a magnanimis feminis exuli mihi ac peregrino humanissime conlata sunt. Quo illud quoque pertinet, quod has plagulas, priusquam praelo subicerentur, virgines Eichstaettenses, quamvis nihil aliud iam operis ferre posse videantur, mirabili sedulitate et amore organo mechanico transcripserint. Quas „pro me orantes, et inter pretiosissimas Ecclesiae gemmas micantes, favor divinus et praesentibus repleat bonis, et dignas reddat aeternis!"

Scribebam Monaci Bavarorum die S. Caesarii, XXVII Augusti MDCCCCXXXII. G. M.

INDEX CODICUM, EDITIONUM ET ALIARUM ABBREVIATIONUM.

M = Cod. lat. Monacensis 28118, saec IX.
B = Bamberg. lit. 142 [Ed. II. 11], saec. X.
C = Berolin. Phillipp. 1696, saec. XIII.
T = Turonensis 617, saec. XI.
α = Edit. Io. Bollandi in Act SS. Ianuarii, t. I, p. 730–737.
β = Edit. Stephani Moquot et Prosperi Stellartii typis repetita in Maxima Bibliotheca vet. Patrum Lugdunensi an. 1677, t. VIII, p. 866–872.
μ = Edit. Holstenii denuo impressa ap. Migne P. L, 67, 1103 sqq.
RB = Revue Bénédictine, XLIV (1932), p. 5–20: „Problèmes relatifs à la Règle de S. Césaire d'Arles".
Thiel = Hormisdae papae epistola 150 „Exulto" e chartis Petri Coustant et Petri Danielis Labat ab Andrea Thiel an. 1868 Brunsbergae edita in *Epist. romanor. pontificum* t. I, p. 988–990 (Jaffé 864).
RA = Regula quae dicitur Augustini tertia iuxta recensionem Donatiani De Bruyne, RBén. XLII (1930), p. 320–326.
OM = Regula quae secunda dicitur, seu „De ordine monasterii", ibid. p. 318–319.
EA = Epist. 211 s. Augustini: Migne P.L. 33, 958–965.
MBP = Maxima Bibliotheca veterum Patrum, Lugduni 1677.

Qualiter balneo debeant uti · xxx

De plumariis & ornatu monasterii · xlv

Vt nulli liceat uestimenta tam adlauandū quā xlvi

ad consuendum recipere · xlvii

Vt ostium monasterii extra locū definitū n̄ fiat ·

INCIPIN̄T INSTITVTA SC̄ARVM

MONACHARVM

Et quia multa in monasteriis puellarum

a monachorum institutis distare uiden

tur · elegimus pauca de pluribus quibus seni

ores cum iunioribus regulariter uiuant · & spi

taliter implere contendant · quod specialiter

suo sexui aptum esse prospexerint · I

Haec sc̄is animabus ur̄is prima conueniunt ·

si quarelictis parentibus suis seculo re

nuntiare & sc̄mouile uoluerit introire · ut spi

ritalium lup orum faucibus dō adiuuante

possit euadere · usque ad mortem suam de mo

nasterio non egrediatur · II

Cod. Bambergen. Lit. 142 (E. II. 11)
Fol. 64v — 65r

INCIPIVNT STATVTA SANCTARVM VIRGINVM.

Sanctis et plurimum in Christo venerandis sororibus in monasterio, quod deo inspirante et iuvante condidimus, constitutis Caesarius episcopus.

Quia nobis dominus pro sua misericordia inspirare et adiuvare dignatus est, ut vobis monasterium conderemus, quomodo in ipso monasterio vivere debeatis secundum statuta antiquorum patrum, monita vobis spiritalia ac sancta condidimus; quae ut deo adiuvante custodire possitis, iugiter in monasterii cellula residentes visitationem Filii dei assiduis orationibus implorate, ut postea cum fiducia possitis dicere: INVENIMVS QVEM QVAESIVIT ANIMA NOSTRA. Et ideo vos sacras virgines et deo deditas animas rogo, quae incensis lampadibus cum secura conscientia domini praestolatis adventum, ut quia me pro construendo vobis monasterio laborasse cognoscitis, vestri me itineris socium fieri sanctis orationibus postuletis; ut cum in regno cum sanctis ac sapientibus virginibus feliciter introibitis, me cum stultis non remanere foris vestro suffragio obtineatis. Orantem pro me sanctimoniam vestram, et inter pretiosissimas ecclesiae gemmas micantem, favor divinus et praesentibus repleat bonis, et dignam reddat aeternis.

2. Et quia multa in monasteriis puellarum a monachorum institutis distare videntur, elegimus pauca de pluribus, quibus seniores cum iunioribus regulariter vivant, et spiritaliter implere contendant, quod specialiter suo sexui aptum esse prospexerint.

12 *nostra*] Cf. Cant. 3, 4

1 sq. *inscriptio ex M;* incipit regula sanctarum monacharum a sancto Cesario Arelatensis urbis episcopo *B*; incipit praefatio sancti Cesarii Arelatensis archiepiscopi in regula sanctimonialium *C* 8 statuta] *BC*; instituta *M* 9 ut] *MB*; *om.C* 13 sq. quae cum inc. lamp. et secura *α*, cum . . . et *in ras.M* 15 construendo] *MBC*; constituendo *βμ* 16 in regnum *M* 17 introieritis *M* 18 sq. orantem p. m. sanctimoniam vestram et] *optime B unus*; orante p. m. sanctimonia vestra ut *cet.* 20 dignam] *scripsi*; digna *B*; dignum *cet.* 21 aeternis] *heic in BMC describuntur alia atque alia capitula, quae, ut alibi iam dixi, genuina esse non arbitror: RB, p. 11—12.* 22 Et] *M*; Ut *miniatoris puto errore B*; *om. C βμ* a] *B*; ac *M*; aut *C* monachorum] inter se *intrudit M* institutis] is *ex* a *mox corr. B*; instituta *cet.*

Haec sanctis animabus vestris prima conveniunt:

Si qua relictis parentibus suis saeculo renuntiare et sanctum ovile voluerit introire, ut spiritalium luporum faucibus deo adiuvante possit evadere, usque ad mortem suam d monasterio non egrediatur, nec in basilicam, ubi ostium esse videtur.

3. Iuramentum et maledictum velut venenum diaboli fugere et vitare contendant.

4. Ei ergo, quae deo inspirante convertitur, non licebit statim habitum religionis adsumere, nisi ante in multis experimentis fuerit voluntas illius adprobata; sed uni de senioribus tradita per annum integrum in eo, quo venit, habitu perseveret. De ipso tamen habitu mutando, vel lecto in scola habendo, sit in potestate prioris; et quomodo personam vel conpunctionem viderit, ita vel celerius vel tardius studeat temperare.

5. Quae autem viduae, aut maritis relictis, aut mutatis vestibus ad monasterium veniunt, non excipiantur, nisi antea de omni facultaticula sua, cui voluerint, cartas, aut donationes, aut venditiones faciant, ita ut nihil suae potestati, quod peculiariter aut ordinare aut possidere videantur, reservent, propter illud domini: SI VIS PERFECTVS ESSE, VADE, VENDE OMNIA QVAE POSSIDES; et SI QVIS NON RELIQVERIT OMNIA, ET SECVTVS ME FVERIT, NON POTEST MEVS ESSE DISCIPVLVS. Hoc ideo dico, venerabiles filiae, quia sanctimoniales, quae possessionem habuerint, perfectionem habere non poterint. Quam rem etiam et illae, quae virgines convertuntur, si inplere noluerint, aut non recipiantur, aut certe vestimenta religiosa non permittantur accipere, donec se ab omnibus inpedimentis mundi istius liberas fecerint.

6. Illae vero, quae adhuc vivis parentibus substantiam suam in

---

19 *possides*] Mt. 19, 21 20 *discipulus*] Cf. Luc. 14, 26. 27. 33.

---

3 faucibus] *B*; fauces *cet.* 5sq. in basilicam] *M*; de basilica *C*; *deficit B* 7 contendant] *MB*; contendat *C* 9 antea *C* 10 de] *B*; e *MC*; ex $\beta\mu$ per] *codd*; *om.* $\beta\mu$ 13 ita] *BC;* om. *M* 15 venerint *M* ante *B* omni facultaticula sua] *B*; o. facultatula s. *C*; omnibus facultaticulis suis *M* 19 vade] *om. B* 20 me non fuerit *B* discipulus] *heic in B anticipata sunt verba* Et illud: Si quis *usq.* ut Christum lucrif. *quae in Recapitulat. n. 52 infra habentur* 21 possessiones *B* 22 poterint] *B*, i *post. in* u *mut. M*; poterunt *C edit. Insuper sequentia B unus interserit*: Tamen, quae convertuntur, eas, si voluerint in monasterio oblatam suam conferre, omnia ante pedes abbatissae ponant, et ipsa distribuat unicuique pro ut opus est. Illae vero, quae ita pauperes sunt, ut de nulla habeant, quod sperare possint, ita de illis sancta abbatissa, quae omnia in potestate habere dinoscitur, curam gerat, ut, quae necesse habuerint, deo medio ministrare studeat, sciens se maximam pro talibus a domino recepturam esse mercedem; *quae quidem omnino caesariana esse videntur, et fortasse ad unam e scedis postea abolitis pertinent: cf. infra n. 21 et 49.* 23sq. excipiantur *M* 25 effecerint *B*

potestate habere non possunt, aut adhuc minoris aetatis sunt, cartas tunc facere conpellantur, quando res parentum in potestate habere potuerint, aut ad legitimam aetatem pervenerint. Ideo hoc sanctis animabus vestris praecipimus, timentes exemplum Ananiae et Saphirae, qui, cum totum se dixissent apostolis obtulisse, partem obtulerunt, partem sibi infideliter reservaverunt, quod fieri nec decet, nec licet, nec expedit.

7. Ancillam propriam nulli, nec abbatissae, liceat in servitio suo habere; sed si opus habuerint, de iunioribus in solatium suum accipiant. Et, si potest fieri, aut difficile, aut nulla umquam in monasterio infantula parvula, nisi ab annis sex aut septem, quae iam et litteras discere, et oboedientiae possit obtemperare, suscipiatur. Nobilium filiae sive ignobilium ad nutriendum aut ad docendum penitus non accipiantur.

8. Nemo sibi aliquid operis vel artificii pro suo libitu eligat faciendum; sed in arbitrio senioris erit quod utile prospexerit imperandum.

9. Nulli liceat semotam eligere mansionem, nec habere cubiculum vel armariolum aut aliquid huiusmodi, quod peculiarius claudi possit; sed omnes divisis lectulis in una maneant cellula. Quae vero senes sunt et infirmae, ita illis convenit obtemperari vel ordinari, ut non singulae singulas cellas habeant, sed in una recipiantur omnes, ubi et maneant.

Numquam altiori voce loquantur, secundum illud Apostoli: OMNIS CLAMOR TOLLATVR A VOBIS; quod fieri nec decet omnino nec expedit.

10. Similiter, dum psallitur, fabulari omnino vel operari non liceat.

11. Nulla cuiuslibet filiam in baptismo, neque divitis neque pauperis, praesumat excipere: quia quae suorum libertatem pro dei amore contempsit, aliorum expetere vel habere non debet; ut sine aliquo impedimento deo vacare iugiter possit.

12. Quae signo tacto tardius ad opus dei vel ad opera venerit, increpationi, ut dignum est, subiacebit. Quod si secundo aut tertio ammonita emendare noluerit, a communione vel a convivio separetur.

---

24 *a vobis*] Eph. 4, 31

---

1 potestatem *C* 2 in propria potestate *M* 4 saphyrae *B*; sapphyrae *M* 8 nec etiam abbat. *C* 9 habuerint] *B*; habuerit *cet.* in solatio suo *B* accipiant] *B*; accipiat *M edit.*; accipiet *C* 10 nulla umquam] *MC edit.*; numquam *B* in monasterium *M* 11 parvula] *om. B* 13 innobilium *B* 15 aliquid] *om. BC* libito *M* β 16 imper.] faciendum *B* 17 remotam *B* habere] *B*; habebit *cet.* 20 ita illis] *BC*; eis taliter *M* 21 cellulas *B* 23 loquantur] sed *add. B* 24 quod f. n. d. o. n. ex edit] *M*; *om. cet.* 25 fabulare *M* 26 nullam *M* in baptismum *M edit.* 27 excipere] *M*, *add.* nisi in monasterio perseveraverit *B*; accipere *C* $\beta\mu$ 27 sqq. quia quae *usq.* iugiter possit] *M unus; om. cet.* 32 subiaceat *B*

13. Quae pro qualibet culpa ammonetur, castigatur, corripitur, arguenti respondere penitus non praesumat; quae aliquid ex his quae iubentur implere noluerit, a communione orationis vel a mensa secundum qualitatem culpae sequestrabitur.

14. Quae coquent, singuli illis meri pro labore addantur. In omni ministerio corporali, tam in coquina, vel quicquid cotidianus exigit usus, vicibus sibi, excepta matre vel praeposita, succedere debent.

15. In vigiliis, ut nemo per otium somno gravetur, ea opera fiat, quae mentem non retrahat a lectionis auditu. Si qua gravatur somno, aliis sedentibus iubeatur stare, ut possit a se somni marcorem repellere, ne in opere dei aut tepida inveniatur aut neglegens.

16. In ipsis lanificiis faciendum pensum suum cotidianum cum humilitate accipiant, et cum grandi industria implere contendant.

17. Nemo sibi aliquid iudicet proprium, sive in vestimento, sive in quacumque alia re.

Nemo cum murmuratione aliquid faciat, ne simili iudicio murmuratorum pereat, secundum illud apostoli: OMNIA FACITE SINE MVRMVRATIONIBVS.

18. Matri post deum omnes oboediant; praepositae deferant. Sedentes ad mensam taceant, et animum lectioni intendant. Cum autem lectio cessaverit, meditatio sancta de corde non cesset. Si vero aliquid opus fuerit, quae mensae praeest, sollicitudinem gerat, et quod est necessarium nutu magis quam voce petatur. Nec solae vobis fauces sumant cibum, sed et aures audiant dei verbum.

Omnes litteras discant.

19. Omni tempore duabus horis, hoc est, a mane usque ad horam secundam lectioni vacent. Reliquo vero diei spatio faciant opera sua, et non se fabulis occupent, propter illud apostoli: CVM SILENTIO OPERANTES; et illud: IN MVLTILOQVIO NON EFFVGIES PECCATVM. Et ideo hoc vobis omnino loquendum est, quod ad aedificationem vel utilitatem animae pertinet.

---

14 sq. *Nemo sibi* etc] ex OM, l. 21 sq. 16 sq. *Nemo cum murmuratione* etc.] Ibid. 23 sq. 17 *murmurationibus*] Philipp. 2, 14 19—23 *Matri post deum* etc.] OM, l. 25—28 23 *Nec solae* etc.] EA, n. 8. 29 *operantes*] II. Thess. 3, 12 29 *peccatum*] Prov. 10, 19.

---

1 admonetur *C*; ammonita (a *ex* ur *corr.*) *B*; admonita *M* corripitur] *om. B* 4 sequestretur *B* 5 coquent] *C*; coquunt *M*; *deficit B* singuli i. meri *Mμ*; singulae i. merito *Cβ* 6 tam] *MB*; tamen *Cβμ* 8 sq. fiat . . . retrahat] *BCβμ*; fiant . . . retrahant *M* 11 ne] nec *B* 12 pensum suum] *Cβμ*; pensum *om. B*; suum opus *M* 19 omnes] *om. M* obaudiant *B* praepositam subferant *M*, pr. sufferant *α* 20 animo *M* 23 petatur] *B*; petat *cet.*

20. Cum autem necessitas operis exegerit, tunc loquantur. Reliquis vero in unum operantibus, una de sororibus usque ad tertiam legat; de reliquo meditatio verbi dei et oratio de corde non cesset.

Sit vobis ANIMA VNA ET COR VNVM IN DOMINO, sint vobis omnia communia; sic enim legitur in Actibus apostolorum, quia ERANT ILLIS OMNIA COMMVNIA, et DISTRIBVEBATVR VNICVIQVE SICVT CVIQVE OPVS ERAT.

21. Quae aliquid habebant in saeculo, quando ingrediuntur monasterium, humiliter illud offerant matri, communibus usibus profuturum. Quae autem non habuerunt, non ea quaerant in monasterio, quae nec foris habere potuerunt. Illae vero, quae aliquid videbantur habere in saeculo, non fastidiant sorores suas quae ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt; nec sic de suis divitiis superbiant, quas monasterio obtulerunt, quo modo si eis in saeculo fruerentur. Quid prodest dispergere, et dando pauperibus pauperem fieri, si misera anima diabolica infletur superbia? Omnes ergo unianimiter et concorditer vivite, et honorate in vobis invicem deum, cuius templa esse meruistis.

Orationibus sine intermissione insistite, secundum illud evangelii: ORANTES OMNI TEMPORE, VT DIGNI HABEAMINI; et apostolus: SINE INTERMISSIONE ORATE.

22. Cum vero psalmis et hymnis oratis deum, id versetur in corde, quod profertur in voce. Quodcumque operis feceritis, quando lectio non legitur, de divinis scripturis semper aliquid ruminate.

Aegrotantes vero sic tractandae sunt, ut citius convalescant; sed cum vires pristinas reparaverint, redeant ad feliciorem abstinentiae consuetudinem.

Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus, quod vestrum decet propositum.

23. Nulla in vobis concupiscentia oculorum cuiuscumque viri diabolo instigante consurgat; nec dicatis vos animos habere pudicos, si oculos inpudicos habeatis: quia inpudicus oculus inpudici cordis est nuntius. Nec putare debet, quae in virum non simpliciter convertit aspectum, ab aliis se non videri, cum haec facit: videtur omnino, a quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, ut a nemine hominum videatur,

1 *necessitas operis* etc] OM, l. 40 4—10 *Sit vobis* etc] EA, n. 5 4 *in domino*] Act. 4, 32 6 *communia*] Ibid. *opus erat*] Act. 4, 35 10 sq. *Illae vero* etc] EA, n. 6 18 sqq. *Orationibus . . . in voce*] EA, n. 7. 19 *habeamini*] Luc. 21, 36 20 *orate*] I Thess. 5, 17 27 sq. *Non sit . . . moribus*] EA, n. 10. 30 sq. *nec dicatis vos* etc] EA, n. 10. 32 sqq. *Nec putare . . . haec facit*] ex RA, l. 79—81.

5 legitis $C\beta\mu$ 8 offerent $C^{3}\mu$ 11 habere] *om. M* 13 quas] quae eas *B* 15 unianimiter] *MB*; unanimiter *C edit.* 16 invicem] *om. B* 23 semper] *om. M* 30 instigante] insidiante *B* 30 sq. oculos i. h. quia inpudicus] *deest in* μ 34 ecce] et si *B*

quid facit de illo superinspectore, cui omnino latere non potest? Timeat ergo displicere deo; cogitet ne male placeat viro. Quando ergo simul statis, si aut provisor monasterii, aut aliquis cum eo virorum supervenerit, invicem vestram pudicitiam custodite: deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo vos custodit.

24. Si quam vero liberius quam decet agere videritis, secretius corripite ut sororem: si audire neglexerit, matri in notitiam ponite. Nec vos iudicetis esse malivolas, quando hoc sancto animo indicatis: magis enim innocentes non estis, et peccato ipsius participes vos facitis, si sororem vestram, quam castigando corrigere potuistis, tacendo perire permittatis. Si enim vulnus haberet in corpore, aut esset a serpente percussa, et vellet hoc occultare, dum timet secari, nonne crudeliter hoc taceretur, et misericorditer proderetur? Quanto magis ergo consilia diaboli et insidias illius manifestare debetis, ne in deterius vulnus peccati augeatur in corde, ne concupiscentiae malum diutius nutriatur in pectore? Et hoc facite cum dilectione sororis et odio vitiorum.

25. Quaecumque autem, quod deus non patiatur, in tantum progressa fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras aut quaelibet mandata aut munuscula accipiat, si hoc ultro confessa fuerit, indulgentiam mereatur, et oretur pro ea; si autem celans proditur, vel convincitur, secundum statuta monasterii gravius emendetur. Simili etiam districtioni subiaceat, si vel ipsa cuicumque litteras aut munuscula transmittere sacrilego ausu praesumpserit. Pro affectu tamen parentum, aut cuiuscumque notitia, si aliqua transmittere voluerit eulogiam panis, matri suggerat; et, si ipsa permiserit, per posticiarias det, et ipsae nomine illius transmittant, cui voluerit; ipsa sine praeposita aut posticiaria per se non praesumat nec dare nec accipere quicquam.

26. Et quamvis non solum cogitari, sed omnino nec credi debeat, quod sanctae virgines duris se sermonibus vel conviciis mordeant, tamen si forte, ut se habet humana fragilitas, in tantum nefas aliquae de sororibus ausae fuerint diabolo instigante prorumpere, ut aut furtum faciant, aut in se invicem manus mittant, iustum est ut legitimam disciplinam accipiant, a quibus regulae instituta violantur.

---

6 sqq. *Si quam vero* etc] EA, n. 11 18 sqq. *Quaecumque autem* etc] Ibid.

---

1 faciet μ superinspectore] $MC\beta$; semper insp. B; superno insp. μ 2 cogitet] dum *praem.* B 5 in isto M custodiat $C\beta$; custodiet μ 8 iudicetis] MC; iudicate B; iudicent $\beta\mu$ malevolas *edit.* 9 sq. innocentes non] MB; nocentes $C\beta\mu$ peccato] MB; peccati $C\beta\mu$ 11 aut] et $\beta\mu$ 12 timeret B 14 magis ergo] B; ergo magis *cet.* 15 vulnus peccati] peccatum B 16 sororis] MB; sororum $C\beta\mu$ 25 ad cuiuscumque notitiam M aliqua] $BC\beta\mu$; aliquam M 28 posticiariis M non] nulla B 29 cogitare MB 30 se serm.] se *excidit in* B 32 insidiante B, *ut 9,30 supra* 33 manus] $BC\beta\mu$; convitia M 34 instituta] *om.* B

Necesse est enim, ut in eis impleatur illud, quod de indisciplinatis filiis per Salomonem praedixit Spiritus sanctus: QVI DILIGIT FILIVM SVVM, ASSIDVAT ILLI FLAGELLVM; et iterum: TV VIRGA EVM CAEDIS, ANIMAM EIVS DE INFERNO LIBERABIS. Disciplinam tamen ipsam in praesentia congregationis accipiant, secundum illud apostoli: PECCANTES CORAM OMNIBVS CORRIPE.

27. Et quia monasterii mater necesse habet pro animarum salute sollicitudinem gerere, et de substantiola monasterii, quod ad victum corporis opus est, iugiter cogitare, salutantibus etiam affectum inpendere, et epistolis quorumcumque fidelium respondere, omnis lanificii cura, unde vestimenta sanctis sororibus ministrentur, ad sollicitudinem praepositae vel lanipendiae pertinebit. Per quarum industriam ita fideliter cum zelo et amore dei vestimenta quaecumque necessaria sunt praeparentur, ut quotienscumque sanctis sororibus opus fuerit, cum sancta discretione dispenset.

28. Quae tamen vestimenta cum tanta industria in monasterio fiant, ut ea numquam necesse sit abbatissae extra monasterium conparare. Et non ad vos pertineat, quale vobis indumentum pro temporis congruentia proferatur. Si autem hinc inter vos contentiones et murmuria oriuntur, si aliquae ex vobis minus forte dignum aliquid acceperint quam prius habuerunt, hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, quae pro habitu corporis murmuratis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, ut amplius quam usus cotidianus exigit habeatis, in uno tamen loco sub communi custodia quod habueritis reponite, et claves de arcellis vel presuriolis vestris regestoraria teneat.

29. Nulla sibi aliquid proprium operetur, nisi cui abbatissa praeceperit aut permiserit; sed omnia opera vestra in commune fiant, tam sancto studio et tam ferventi alacritate, quomodo si vobis propria faceretis.

30. Ad cellarium et ad posticium vel lanipendium tales a seniore eligantur, non quae voluntates aliquarum, sed necessitates omnium cum timore dei considerent; et ideo quicquid ad manducandum vel ad bibendum pertinet, nulla de sororibus praesumat circa lectum suum reponere aut habere. Quaecumque autem hoc fecerit, gra-

3 *flagellum*] Eccli. 30, 1 4 *liberabis*] Prov. 23, 14 6 *corripe*] I Tim. 5,20 19 sqq. *Si autem hinc* etc] EA, n. 12. 27—30 *Nulla sibi* etc] Ibid.

3 flagellum] $BC\beta\mu$; flagella *M Vulg* eum] cum $\beta\mu$, *contra mss. et* α 6 corripiantur *M* 19 murmuria] *MB*; murmura $C\alpha\beta\mu$ 21 habuerint $C\beta\mu$ 22 quae] qui *M* 23 usus] *MBC*; victus $\beta\mu$ 24 custodia] *B*; custode *cet.* 25 pressoriolis μ *contra cet.* 25 sq. regestoraria] *M*; regestoria *B*; registoria $C\beta\mu$ 29 ferventi] frequenti *M* 32 sq. sed quae necess. *M* 35 habere] nisi forte cum aliqua infirmitate detinetur *add. B unus* hoc] aliter *B*

vissimam districtionem sustineat. Ante omnia coram deo et angelis eius obtestor, ut nulla de sororibus vinum occulte aut emat aut undecumque transmissum accipiat; sed si transmissum fuerit, praesente abbatissa vel praeposita posticiariae accipiant, et canavariae tradant; et per ipsius dispensationem secundum institutionem regulae illi, cui transmissum est, quo modo infirmitati suae convenit, ita dispensetur. Et quia solet fieri, ut cella monasterii non semper bonum vinum habeat, ad sanctae abbatissae curam pertinebit, ut tale vinum provideat, unde aut infirmae aut illae, quae sunt delicatius nutritae, palpentur.

31. Lavacra etiam, cuius infirmitas exposcit, minime denegentur; sed fiat sine murmuratione de consilio medicinae, ita ut, etiam si lavare nolit illa quae infirma est, iubente seniore fiat, quod opus fuerit pro salute. Si autem nulla infirmitate conpellitur, cupiditati suae non praebeatur assensus.

32. Aegrotantium cura sive aliqua inbecillitate laborantium uni satis fideli et conpunctae debet iniungi, quae de cellario petat quodcumque opus esse praespexerit. Et talis eligi debet, quae et monasterialem rigorem custodiat, et infirmis cum pietate deserviat. Et si hoc necessitas infirmarum exegerit, et matri monasterii iustum visum fuerit, etiam cellariolum et coquinam suam infirmae in commune habeant.

Quae cellario sive canavae sive vestibus vel codicibus aut posticio vel lanipendio praeponuntur, de super evangelium claves accipiant, et sine murmuratione serviant reliquis. Si quae vero vestimenta, calciamenta, utensilia neglegenter expendenda vel custodienda putaverint, tamquam interversores rerum monasterialium severius corrigantur.

33. Lites nullas habeatis, secundum illud apostoli: SERVVM DEI NON OPORTET LITIGARE, et illud: ABSTINE TE A LITE, ET MINVES PECCATA; aut si fuerint, quam celerius finiantur, ne ira crescat in odium, et festuca

---

11 *Lavacra etiam* etc] ex RA, l. 147 sq. 16—18 *Aegrotantium* etc] EA, n. 13. 29 sqq. *Lites nullas . . diligatis*] Ibid. n. 14. 30 *litigare*] II Tim. 2, 24 *peccata*] Eccli. 28, 10

---

2 sq. undec. transmissum] fuerit *add. M* 3 si] quod *B* 4 canavariae] *BCβμ*; canevariae *M*; cavenariae *α* 6 dispensetur] *C*; dispenset *MB* 7 sqq. Et quia *usq.* nutritae] *haec in B omnino mutata sunt* 13 lavari *M* nolit] *ex* nollit *corr. B*; nollet *Cβμ* 18 praespexerit] *B*; prespexerit *M*; perspexerit *αμ*; prospexerit *C*; prospexit *β* 21 in commune] *M*; commune *C*; comunem *βμ*; *defic. B* 23 canavae] *Cβμ*; canabae *B*; canevae *M*; cavenae *α* 24 lanaependio proponuntur *M* 24 sq. de super] *M*; de *om. cet.* 25 murmure *M* 26 sq. putarint *C* 27 interversor *M* 29 sq. servos 30 sq. et illud a.t. a l.e.m. peccata] *Mαμ*; *om. BCβ*

convertatur in trabem, et efficiatur anima homicida. Sic enim legitis: QVI ODIT FRATREM SVVM, HOMICIDA EST, et: LEVANTES SANCTAS MANVS SINE IRA ET DISCEPTATIONE. Quaecumque convicio vel maledicto vel etiam criminis obiectu laeserit sororem suam, meminerit culpam satisfactione purgare. Quod vitium si iterare praesumpserit, districtione severissima feriatur, usque quo per satisfactionem recipi mereatur. Iuniores praecipue senioribus deferant.

34. Si qua vero pro quacumque re excommunicata fuerit, remota a congregatione, in loco, quo abbatissa iusserit, cum una de spiritalibus sororibus resideat, quo usque humiliter paenitendo indulgentiam accipiat. Si autem, ut fieri solet, stimulante diabolo, invicem se laeserint, invicem sibi veniam petere et debita relaxare debebunt, propter orationes, quas utique quanto crebriores, tanto puriores habere debent. Quod si illa, quae veniam petitur, indulgere sorori suae noluerit, a communione removeatur, et timeat illud, quia si non dimiserit, non dimittetur ei. Quae autem numquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, aut quae petitur, si non dimittit, sine causa in monasterio esse videtur. Proinde vobis a verbis durioribus parcite: quae si admissa fuerint, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, unde facta sunt vulnera.

35. Quando autem vos, quae praepositae estis, necessitas disciplinae pro malis moribus cohercendis dicere verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse fortasse sentitis, non a vobis exigitur ut veniam postuletis; ne apud eas, quas oportet esse subiectas, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda venia est ab omnium domino, qui novit etiam, quas plus iusto corripitis, quanta benivolentia diligatis.

Matri, quae omnium vestrum curam gerit, et propositae sine murmuratione oboediatur, ne in illis caritas contristetur. Ipsae vero, quae vobis praesunt, cum caritate et vera pietate discretionem et regulam studeant custodire. Circa omnes seipsas bonorum operum praebeant exemplum: corripiant inquietas, consolentur pusillanimes, sustineant infirmas, semper cogitantes deo se pro vobis reddituras esse rationem.

---

2 *homicida est*] I Ioh. 3, 15 3 *disceptatione*] I Tim. 2, 8 16 *ei*] Cf. Mt. 6, 15; Marc. 11, 26 29 *quae vobis praesunt*] Cf. RA, l. 194.

---

1 convertatur] crescat $\beta\mu$ *contra mss.* 4 criminis obiectu] $M\alpha\mu$; crimine obiecto $BC\beta$ 10 paenitendo] $MC\beta\mu$; petendo α; *om. B* indulgentiam] poenitentiam *B* 14 quae veniam petitur] *B*; cui venia petitur *cet.* 17 quae petitur] *B*; a qua p. *M*; cui p. $C\beta\mu$ 19 admissa] $C\beta\mu$; dimissa, *ex* demissa *B*; emissa *M* fuerint] ex ore vestro *add. M* 22 etiam] enim *M* 23 in ipso modo *M*; in ipso modos α 26 omnium] *corr.* omnibus *B* 27 iusto] *scripsi*; iuste *omnes, ex* iusto *tamen ut videtur B* 29 oboediatur] *MC*; obaudiatur *B*; obediatis $\beta\mu$ 33 semper] *mss*; saepe $\beta\mu$

Inde et vos magis sancte oboediendo, non solum vestri, sed etiam ipsarum miseremini: quae inter vos quanto in ordinatione superiores videntur, tanto in periculo maiori versantur. Pro qua re non solum matri, sed etiam praepositae, primiceriae vel formariae cum reverentia humiliter oboedite.

36. Ante omnia propter custodiendam famam vestram nullus virorum in secreta parte in monasterio et in oratoriis introeat, exceptis episcopis, provisore et presbytero, diacono, subdiacono, et uno vel duobus lectoribus, quos et aetas et vita commendat, qui aliquotiens missas facere debeant. Cum vero aut tecta retractanda sunt, aut ostia vel fenestrae sunt conponendae, aut aliquid huiusmodi reparandum, artifices tantum et servi ad operandum aliquid, si necessitas exegerit, cum provisore introeant; sed nec ipsi sine scientia aut permissione matris. Ipse vero provisor in interiorem partem monasterii nisi pro his utilitatibus, quas superius conprehendimus, numquam introeat, et aut numquam aut difficile sine abbatissa aut alia honestissima teste: ut sanctae secretum suum, sicut decet et expedit, habeant.

37. Matronae etiam saeculares, vel puellae, seu reliquae mulieres adhuc in habitu laico, similiter introire prohibeantur.

38. Observandum etiam, ne abbatissa ad salutantes in salutatorium sine digno honore suo, hoc est, sine duabus aut tribus sororibus procedat. Episcopi, abbates, vel reliqui religiosi, quos magna vita commendat, si petierint, debent ad orationem in oratorium introire. Observandum est etiam, ut ianua monasterii oportunis horis salutantibus pateat.

39. Convivium etiam his personis, hoc est, episcopis, abbatibus, monachis, clericis, saecularibus viris, mulieribus in habitu saeculari, nec abbatissae parentibus, nec alicuius sanctimonialis numquam, nec in monasterio, vel extra monasterium praeparetis: sed nec episcopo

---

2 sq. *ipsarum miseremini*] EA, n. 15.

---

1 inde] *MB*; unde *Cβμ* obaudiendo *B* 2 quae] *mss*; quia *βμ* in ordine *C* 4 formariae] *MBCα*; primariae *βμ* 5 humiliter] *om. B* 6 sq. nullus virorum] *om. M* 7 in monasterio] *BC*; monasterii *M* introeat] *BC*; *om. M* 8 diacono] et *add. M* 9 commendet *Cβμ* 10 debeant] nullus introeat *add. M* retractanda] restauranda *μ contra ceteros* 11 aliquid] *om. M* 13 permissione] *MB*; permisso *C*; permissu *βμ* 14 in] *MB*; *om. Cβμ* 16 et aut numquam] *Cβμ*; et ut n. *M*; et numquam *α* alio honestissimo *B* 17 sanctae] *B*; sorores *add. M*; sancta *Cβμ* secretum suum] *BCβμ*; secretorum usuum *M*, usum *α*, *uterq. mendose* 18 mulieres] aut viri *interser. BCβμ* 19 laicorum *B* 20 observandum] est *add. Mβμ*, *ex siglo* etiam *male intellecto* etiam] *om. βμ* 20 sq. salutatorio *B* 21 non procedat *B* 22 vel abbates *B* 26 convivia *B* 28 abbatissa *C* alicuius] aliqua *Cβμ* numquam] *MB*; unquam *Cβμ* 28 sq. nec in monast. n. e. monasterium] infra monasterium *B* 29 episcopis *M*

huius civitatis, nec provisori quidem ipsius monasterii convivium fiat. De civitate vero nec religiosae feminae, nisi forte sint magnae conversationis, et quae monasterium satis honorent; et hoc rarissime fiat.

40. Si qua tamen de alia civitate ad requirendam filiam suam, aut ad visitandum monasterium venerit, si religiosa est, et abbatissae visum fuerit, debet ad convivium revocari, reliquae penitus numquam: quia sanctae virgines et deo devotae magis Christo vacantes pro universo populo debent orare, quam corporalia convivia praeparare. Si quis vero germanam suam, vel filiam, aut quamlibet parentem, aut sibi cognatam videre voluerit, praesente formaria vel qualibet seniore ei conloquium non negetur.

41. Abbatissa nisi inaequalitate aliqua aut infirmitate vel occupatione conpellente extra congregationem penitus non reficiat.

42. Illud ante omnia te, sancta mater, et venerabilis quaecumque fueris praeposita, etiam cuicumque cura committenda est infirmarum, primiceria etiam vel formaria, ammoneo et contestor, ut vigilantissime consideretis, ut, si sunt aliquae de sororibus, quae pro eo quod aut delicatius nutritae sunt, aut defectionem forsitan stomachi frequentius patiuntur, et sicut reliquae abstinere non possunt, aut certe cum grandi labore ieiunant, si illae propter verecundiam petere non praesumunt, vos eis iubeatis a cellarariis dari, et ipsis ut accipiant ordinetis. Et certissime confidant, quod quicquid dispensante aut iubente seniore qualibet hora perceperint, in illa repausatione Christum accipiant. Cellararia vero, et illa quae infirmis servitura est, super omnem sollicitudinem cura illis et diligentia infirmarum coram deo et angelis denuntietur.

Hoc etiam moneo, ut propter nimiam inquietudinem ad ianuam monasterii cotidianae vel assiduae elemosinae non fiant; sed quod deus dederit, ut possit usibus monasterii remanere, abbatissa per provisorem ordinet pauperibus dispensari.

43. Ante omnia observandum est, ut si suae filiae aliquis vel aliqua necessitudine ad se pertinenti vestimenta vel aliquid aliud dederit sive

---

1 quidem ipsius] *om. B* 6 revocari] *B*; evocari *C*; vocari *M edit.* 9 si qua *B* 10 cognitam *Cβμ* 11 conloquium] *mss*; colloqui *βμ* 13 reficiat] *MB*; reficiatur *Cβμ* 14 et] te *repet. Cβμ* 17 sq. ut si] *Cβμ*; et si *B*; si *M* quod aut] aut *om. MB* 19 sicut reliquae] *M*; sicut quae *B*; si quae reliquae *Cβμ* 20 sq. praesument *B* 21 cellarariis] *mss*; cellerariis *α*; cellariis *βμ* 22 quod] *deest in βμ* 23 perceperint] *B*; percipient *Cβμ*; receperint *M* accipient *Cβμ* 24 cellararia] *BCβ*; cellaria *μ*; cellarariae *M*; cellerariae *α* illa] *BCβμ*; illae *Mα* serviturae sunt *α* 25 angelis] eius *add. Cβμ* 27 inquietudinem] *abhinc incip. quae ex cod. T supersunt fragmenta* 29 dedit *βμ contra quattuor mss.* 29 sq. ab abbatissa p. p. ordinetur p. dispensandum *M unus* 31 suae] *om. M* 31 sq. aliquae necessitudini *M*

transmiserit, non occulte accipiatur: pro qua re omnibus, quae ad posticium observaverint, contestor coram deo et angelis eius, ut nihil de monasterio permittant dari, vel a foris in monasterio intus acquiescant excipi, extra conscientiam vel consilium abbatissae. Tamen si abbatissa, ut assolet, cum salutatoribus occupata fuerit, posticiariae praepositae ostendant, quodcumque exhibitum fuerit. Quam rem si inplere neglexerint, et illae posticiariae, quae permittunt, et illae, quae excipiunt, non solum districtionem monasterii gravissimam sustinebunt, sed propter transgressionem sanctae regulae causam se mecum ante deum noverint esse dicturas. Ipsum vero, quod transmissum fuerit, si illi opus ad usus suos fuerit, ipsa habeat; si vero illa nihil indiget, in commune redactum, cui est necessarium, praebeatur, propter illud domini mandatum: QVI HABET DVAS TVNICAS, DET NON HABENTI. Indumenta vero ipsa, cum nova accipiunt, si vetera necessaria non habuerint, abbatissae refundant, pauperibus aut incipientibus vel iunioribus dispensanda.

44. Omnia vero indumenta simplici tantum et honesto colore habeant, numquam nigra, numquam lucida, sed tantum laia, vel lactina; in monasterio per industriam praepositae vel sollicitudinem lanipendiae fiant, et a matre monasterii, quo modo cuique rationabiliter necesse fuerit, dispensentur. Tinctura in monasterio nulla alia fiat, nisi, ut supra dictum est, laia et lactina: quia aliud humilitati virginum non oportet. Lectaria vero ipsa simplicia sint: nam satis indecorum est, si in lecto religiosae stragula saecularia aut tapetia picta resplendeant. Argentum in usu vestro non habeatis, absque ministerio oratorii.

45. Plumaria et acupictura et omne polymitum vel stragula sive ornaturae numquam in monasterio fiant. Ipsa etiam ornamenta in oratoriis simplicia esse debent, numquam plumata, numquam oloserica, numquam bombycina; et nihil aliud in ipsis nisi cruces aut nigrae aut lactinae tantum opere sarsurio de pannis aut linteis apponantur.

---

1 sq. *non occulte accipiatur*] EA, n. 12 14 *habenti*] Luc. 3, 11

---

1 accipiantur μ *contra omnes* 3 dare *M*, *et add.* foris a foris] *om. M* in monasterium *M* intus] *om.* $\beta\mu$ 4 extra] contra $\beta\mu$ scientiam *B* 5 posticiariae] et (*corr.* vel) *add. T*, atque *add. B*: *uterq. mendose* 8 gravissime *B* 12 indigerit, *corr.* indiguerit *B* 14 ipsae *M* 15 sq. abbatissa refundat *BC*β *male* vel] *om. M fort. recte* 18 non lucida C$\beta\mu$ laia] lanea *male B* 19 lactena *M* 20 lanaependiae *T* a matre] mater *M* 21 necessaria fuerint dispenset *M* alia] *om. M* 22 laia] lanea *B* lactena *M* 23 lectaria] *MT*; lectuaria *B*; lectualia C$\beta\mu$ 24 indecorosum *M* religiosae] *MTB*; religioso C$\beta\mu$ 25 in usum vestrum *MB* 26 monasterio *B* 29 oratoriis] monasterio C$\beta\mu$ *contra ceteros* 30 numquam bombycina] *om.* $\beta\mu$ bombicina *C*; bumbocina *M*; bombocina *TB* in ipsis] *om. M* 30 sq. nigra a. lactina *T*; lactena *M* 31 operis arsurio *M*; operis assutio α lint. app.] lacteis adponatur *M*



Monogramma Caesarii (1)
ex codice Turonensi.

Nam nec vela cerata adpendi, nec tabulae pictae adfigi, nec in parietibus vel camaris ulla pictura fieri debet: quia in monasterio, quod non spiritalibus, sed humanis tantum oculis placet, esse non debet. Si vero aliqua ornamenta vel a vobis vel ab aliquo de fidelibus monasterio conlata fuerint, aut usibus monasterii profutura vendantur, aut sanctae Mariae basilicae, si necesse fuerit, deputentur. Acupictura numquam nisi in mappulis et facitergiis, in quibus abbatissa iusserit, fiat.

46. Nulla ex vobis extra iussionem abbatissae praesumat clericorum sive laicorum, nec parentum, nec cuiuscumque virorum sive mulierum extranearum vestimenta, aut ad lavandum, aut ad consuendum, aut ad reponendum, aut ad tingendum accipere sine iussione abbatissae; ne per istam incautam et honestati inimicam familiaritatem fama monasterii laedi possit. Quaecumque autem hoc observare noluerit, tamquam si crimen admiserit, ita districtione monasterii feriatur.

47. Te vero sanctam ac venerabilem monasterii matrem, et te praepositam sanctae congregationis, coram deo et angelis eius ammoneo et contestor, ut nullius umquam vel minae vel oblocutiones vel blandimenta molliant animum vestrum, ut aliquid de sanctae ac spiritalis regulae institutione minuatis. Credo tamen de dei misericordia, quod non pro aliqua neglegentia reatum incurrere, sed pro sancta et deo placita oboedientia ad aeternam beatitudinem possitis feliciter pervenire. *Heic suum adposuit Caesarius monogramma.*

21 Ad Caesarii monogramma. Meminit quidem Mabillonius noster, De re diplomatica lib. 2, c. 15, n. 11, monogrammatis S. Aviti Viennensis episcopi sigillo insculpti: de monogrammate autem S. Caesarii nemo, quod scio, adhuc verbum fecit; quod amicus Petrus Froehly Basileensis arte phototypica mihi depingendum curavit.

1 vela cerata] vel acerata *C*; lacerata *M* tabula picta *T* 2 camaris] *MB*; cameris *cet.* 2 sq. quod non humanis sed spiritualibus absurde *Cβμ* 3 non debet] non *om. μ* 4 aliquo alio *μ* monasterio] *TB*; monasteriorum *M*; monasterii *Cβμ* 5 aut in usibus *Cβμ* 7 et] aut *M* facitergiis] Britergiis *β* 7 fiant *Cβμ* 8 extra iuss. abbatissae] *om. MB* 9 vel parentum *μ* 10 extranearum] *om. M* 11 aut ad tingendum] a. a. trigendum *β*; *om. M* sine iuss. abbat.] *om. MB* 12 honestati] *in* inhonestam ac *post. mut. M*; *om. B* 13 autem] *om. M* 14 crimen] grande *praem. B* 19 non] nisi *s. l. add. M* 21 pervenire] *sequitur Caesarii monogramma, quod uno codice T servatum est.*

INCIPIT RECAPITVLATIO HVIVS REGVLAE.

48. Cum deo propitio in exordio institutionis monasterii vobis regulam fecerimus, multis tamen postea vicibus ibi aliquid addidimus vel minuimus: pertractantes enim et probantes quid inplere possitis, hoc nunc definivimus, quod et rationi et possibilitati et sanctitati conveniebat. Quantum enim diligenti experimento capere potuimus, ita deo inspirante temperata est regula ipsa, ut eam cum dei adiutorio ad integrum custodire possitis. Et ideo coram deo et angelis eius contestamur, ut nihil ibi ultra mutetur aut minuatur.

49. Pro qua re quascumque scedas prius fecimus, vacuas esse volumus; hanc vero, in qua manu mea recapitulationem scripsi, sine ulla diminutione rogo et moneo ut deo adiutore fideliter ac feliciter inpleatis: incessanter dei adiutorium inplorantes, ne vos venenoso consilio suo antiquus hostis inpediat, qui de ipso caeli fastigio sibi consentientes ad inferni profunda consuevit abstrahere. Unde, sanctae ac venerabiles filiae, moneo, ut omni virtute et vigilantissima sollicitudine suggestiones illius repellere studeatis; et sic cum dei adiutorio currite, ut adprehendere valeatis: quia, non qui coeperit, sed QVI PERSEVERAVERIT VSQVE IN FINEM, HIC SALVVS ERIT. Et licet credam quod ea quae superius scripta sunt sancta pietas vestra et semper memoriter teneat, et Christo auxiliante non solum fideliter, sed etiam feliciter inplere contendat, tamen, ut ea quae constituimus sancto cordi vestro tenacius valeant inhaerere, istam parvulam recapitulationem, quam manu mea scripsi, fieri voluimus: quam rogo, ut deo inspirante et libenter accipere, et iugiter studeatis cum dei adiutorio custodire.

50. Hoc enim est quod specialiter absque ulla diminutione a vobis volumus observari, ut nulla ex vobis usque ad mortem suam de monasterio egredi, vel in ipsam basilicam, in qua ianuam habetis, aut permittatur, aut per seipsam praesumat exire.

---

18 *valeatis*] Cf. I Cor. 9, 24 19 *erit*] Mt. 10, 22; 24, 13

---

1 incip. r. h. regulae] *B unus, in quo etiam sequuntur capitula nummero XXXI; om. MTC* 6 etenim *B* 10 fecimus] *mss*; fecerimus *βμ* 11 voluimus *B* 23 parvam *B* 24 voluimus] firmiorem *add. B*; volumus *Cβμ contra cet.* 28 egrediatur *B, omissis reliquis usq.* exire in ipsam basilicam] *M*; in ipsa basilica *T*; de ipsa basilica *Cβμ*

51. Ut nulla cellam peculiarem habeat.

Ut familiaritatem aut quamlibet societatem, nec cum religiosis, nec cum laicis, seu viris seu mulieribus, secretam habeat; nec sola cum solo loqui vel sub momento temporis permittatur. Nec vestimenta eorum ad lavandum vel tingendum aut ad custodiendum vel consuendum accipiant; et, sicut in ipsa regula constituimus, nec quicquam ab intus occulte foris transmittere, aut a foris intus excipere audeant.

52. Nulla aliquid proprium nec foris possideat, nec intus habeat, nec ad ordinationem suam aliquid reservet; sed, sicut superius diximus, cartis cui voluerit factis ab omni inpedimento sit libera, propter illud quod dominus dixit: SI QVIS NON RENVNCIAVERIT OMNIBVS QVAE POSSIDET, NON POTEST MEVS ESSE DISCIPVLVS; et illud: SI QVIS VVLT VENIRE POST ME, ABNEGET SEMETIPSVM SIBI. Qui semetipsum sibi iussus est abnegare, qua fronte praesumit sibi aliquid de inpedimentis mundi istius reservare, et non magis quod scriptum est contremescit ac metuit, quia IN-PEDIMENTA MVNDI FECERVNT EOS MISEROS; et illud apostoli diligenter adtendit: VOLO, inquit, VOS SINE SOLLICITVDINE ESSE? Et haec fideliter observans secura conscientia dicat: MIHI MVNDVS CRVCIFIXVS EST, ET EGO MVNDO; et illud: OMNIA VT STERCVS ARBITRATVS SVM, VT CHRISTVM LVCRIFACEREM.

53. Convivium nec episcopo istius civitatis, nec alterius, nec ulli virorum, sicut in hac regula statuimus, praeparetur.

54. Epistolae nullius hominum, etiam nec parentum, occulte accipiantur, aut sine permisso abbatissae ulli qualescumque litterae transmittantur.

55. Moneo specialius, ut, sicut iam diximus, vestimenta lucida vel nigra vel cum purpura vel bebrina numquam in usu habeantur, nisi tantum laia et lactina.

56. Capita numquam altiori ligent, quam in hoc loco mensura de encausto fecimus.

12 *discipulus*] Luc. 14, 33 13 *sibi*] Mt. 16, 24 16 *miseros*] sententia haec a Caesario saepissime veluti e scriptura adducitur, at fontem nondum mihi contigit invenire 17 *esse*] I Cor. 7, 32 19 *mundo*] Gal. 6, 14 20 *lucrifacerem*] Philipp. 3, 8

4 sub] *om.βμ* 6—7 accipiat . . . audeat *Cβμ* 7 foras occulte *M* 10 voluerit tradat factis ut ab o. *M* 12 sqq. discipulus] *reliqua usq.* lucrifacerem *in ipsa regula anticipata heic om. B* 15 ac metuit] *codd. omnes*; *om.βμ* 16 eos] nos *Cβμ* 17 adtendit] *TC*; adtendite *MBβμ* 18 mundus cr. e. mihi *βμ* 19 sq. arbitr. s. u. stercus *βμ* 20 lucrifaciam *Cβμ* 21 episcopi *T*; episcopis *B* 23 hominis *M* 24 permissu *edit.* ullae *M* 26 ut] *om. M* 27 bebrina] *BCμ*; bebrinam *T*; vibrina *Mα*; cum bebrina *β* habeant *βμ contra cet.* 28 lactena *M* 29 altiori] *Cβμ*; altiora *MTB* in hunc locum *Cβμ* 29 mensura] *TC*; mensuram *cet.* 29 sq. de incato *Mα* 30 fecimus] *hoc loco in mss. linea quaedam descripta est, in T ornatior, in reliquis simplicior: iterum in T maioris (circ. 95 mm.), in ceteris minoris altitudinis, uniuscuiusque scribae ut reor arbitratu*

57. Omnia opera in commune faciant.

58. Quaecumque ad conversationem venerit, in salutatorio ei regula frequentius relegatur; et si prompta et libera voluntate professa fuerit se omnia regulae instituta conplere, tamdiu ibi sit, quamdiu abbatissae iustum ac rationabile visum fuerit. Si vero regulam se dixerit non posse conplere, penitus non accipiatur.

59. Ianua monasterii numquam extra basilicam cum vestra voluntate aut cum vestro permisso fiat, et vespertinis et nocturnis ac meridianis horis numquam pateat: ita tamen, ut ipsis horis, et quando reficitur, claves abbatissa apud se habeat.

Ipsa tamen abbatissa sanctae congregationi, cui nihil possidere licet, aut aliquid peculiare habere permittitur, deo medio contestor, ut, in quantum possibilitas fuerit, quae necessaria sunt, ministrare studeat.

60. Plumaria et ornaturas, vestimenta purpurea et omne polimitum numquam in monasterio fiant, propter illud apostoli: NEMO MILITANS DEO INPLICAT SE NEGOTIIS SAECVLARIBVS, VT EI PLACEAT, CVI SE PROBAVIT.

61. Quotiens sancta abbatissa ad deum migraverit, nulla ex vobis carnali affectu, aut pro natalibus, aut pro facultatibus, aut pro parentela aliquam minus efficacem fieri velit: sed omnes Christo inspirante unanimiter sanctam ac spiritalem eligite, quae et regulam monasterii possit efficaciter custodire, et supervenientibus responsum cum aedificatione et conpunctione et cum sancto affectu sapienter valeat reddere; ut omnes homines, qui vos cum grandi fide et reverentia pro sui aedificatione expetunt, deum uberius benedicant, et de vestra electione et de illius, quam eligitis, conversatione spiritaliter gratulentur.

62. Et licet, sanctae filiae et unica mihi in Christo caritate venerabiles, de sanctae pietatis vestrae oboedientia sim securus, tamen, pro paterna

2 *conversationem*] Cf. ea quae de hoc vocabulo late et egregie disputavit abbas Iohannes Chapman in opere „Saint Benedict and the sixth century" (Lond. 1929), cap. 12, p. 206—231 7 *Ianua monasterii*] Hoc recapitulationis capitulum ultimum fuisse in priori Regulae recensione innuit ordo capitulorum in codd. *M* et *B*: vide sis RB, p. 11—12. et 14. 17 *probavit*] II Tim. 2, 4

2 conversationem] *B*; conversionem *cet.* 3 prompte *M* 7 sq. numquam *usq.* fiat] *om. B* 8 permisso] *MT*; permissu *Cβμ* 9 et quando] *MTB*; et *om. Cβμ* 10 reficiunt *B* 11 ipsam t. abbatissam *Cβμ contra cet.* congregationi] *TB*; congregationis *MCβμ* 12 deo medio] *TBCβμ* (cf. appar. crit. ad p. 6, l. 22); deum ei *Mα* 13 sunt] suis sororibus *marte suo intrud. βμ* ministrare (illis *add. M*) studeat] *MTBC*; provideat *βμ* 15 plumariae *Cβμ* ornaturas] *MTB*; ornaturae *Cβμ* 16 fiant] *MTB*; fiat *Cβμ* 19 aut pro facultat.] *mss. omnes*; *om. βμ* 20 aliqua *mendose M* 21 ac] *om. Cβμ* 22 et venientibus *M* 25 sua *M* 26 eligitis] *BCβμ*; elegetis *T*; elegistis *M* 28 Et] *om. T* sanctae] *om. M* unicae *M*; unice *forsit. recte α* Christi, *ult. litt. in ras. M* 29 sancta *T*

sollicitudine, qua vos angelis desidero esse consimiles, iterum atque iterum rogo, et per omnipotentem deum vos contestor, ut nihil de sanctae regulae institutione minui permittatis, sed totis viribus eam custodire auxiliante domino laboretis: scientes quia VNVSQVISQVE PROPRIAM MERCEDEM ACCIPIET SECVNDVM LABOREM.

63. Et hoc ante omnia rogo, ut ammonitionem nostram non transitorie accipiat sanctitas vestra: quia non ex nostra praesumptione loquimur, sed secundum quod in scripturis canonicis legitur, et antiquorum patrum libris abundantissime continetur, vos cum grandi affectu et cum vera caritate salubriter ammonemus. Et quia legitis, quod, QVI VNVM MANDATVM MINIMVM NEGLEXERIT, MINIMVS VOCETVR IN REGNO CAELORVM, nolite humilitatis nostrae verba quasi minima despicere, propter illud quod scriptum est: QVI VOS SPERNIT, ME SPERNIT; et illud: QVI SPERNIT MODICA, PAVLATIM DEFLVET. Quomodo enim in quocumque carnali certamine tantum unusquisque abiectior erit, quantum eum minor et infirmior persona superaverit, ita et in spiritali luctamine in eum, qui neglegens fuerit in minimis, inplebitur illud quod scriptum est: QVI VNIVERSAM LEGEM SERVAVERIT, OFFENDAT IN VNO, FACTVS EST OMNIVM REVS. Haec enim ego cum grandi non solum timore sed etiam tremore cogitans, dum pavescit animus meus, ne vobis aliqua vel minuta peccata subripiant, non solum ammoneo, sed etiam supplico pariter et contestor, et cum grandi affectu caritatis adiuro, sic in illa aeterna beatitudine ad consortium angelorum omniumque sanctorum sine confusione veniatis, simul et cum sancta Maria vel cum omnibus reliquis virginibus coronas gloriae accipere, et caelestem agnum sequi vos feliciter videre promerear, ut toto corde et toto animo mandata superius conprehensa studeatis inplere, per quae ad aeterna praemia possitis feliciter pervenire.

64. Illud etiam, quod non credo, nec deus pro sua misericordia fieri patiatur, si quocumque tempore quaelibet abbatissa de huius regulae institutione aliquid inmutare aut relaxare temptaverit, vel pro parentela seu pro qualibet condicione subiectionem vel familiaritatem

---

5 *laborem*] I Cor. 3, 8 12 *caelorum*] Mt. 5, 19 13 *spernit*] Luc. 10, 16 *defluet*] Eccli. 19, 1 19 *reus*] Iac. 2, 10

---

1 qua] *TC*; quae *B*; quia *Mβμ* 3 sancta *T* 4 custodiri *μ* unaquaeque *M* 5 accipiat *M* 7 quia] qui *M* 8 in] *om. M* et] *om. M* 9 cum grandi] *om. B* 14 defluit *BC* 16 eum] *om. Cβμ* infirmior] inferior *MB* 17 luctamine] certamine *βμ contra omnes* in eo *M unus* inpletur *TB* 18 offendat] autem *add. Bμ* in unum *M* 19 hoc *Cβμ* 20 vobis] vos *M* 21 subrepant *Cβμ* etiam] *om. βμ* 23 sic] ut *M* 23 in illam aeternam beatitudinem *MC* 24 veniatis] *MT*; venietis *B*; venire *Cβμ* simul, et *βμ*; simulque *B* 25 reliquis] *om. M* coronam *B* 30 patietur *Cβμ* 31 sqq. vel pro *usq.* voluerit] *om. B* 32 subiectionis, is *ex* es *corr. M*

pontifici huius civitatis habere voluerit, deo vobis inspirante ex nostro permisso in hac parte cum reverentia et gravitate resistite, et hoc fieri nulla ratione permittite: sed secundum sacram sanctissimi papae urbis Romae vos auxiliante domino munire in omnibus studete. Praecipue tamen de infra scripta recapitulatione, quam manu mea scripsi atque subscripsi, contestor, ut nihil penitus minuatur. Quaecumque enim abbatissa aut quaelibet praeposita aliquid contra sanctae regulae institutionem facere temptaverint, noverint se mecum ante tribunal Christi causam esse dicturas.

65. Et si forte, quod deus non patiatur, fuerit aliqua de filiabus nostris tam pertinax animo, quae huius regulae recapitulationem salubriter et secundum institutionem sanctorum patrum scriptam inplere contempnat, a sanctae congregationis vestrae conventu eam accensae zelo sancti Spiritus removete; et tamdiu in cella salutatorii sit remota, quamdiu dignam paenitentiam agens humiliter veniam petat; et donec ad regulae instituta se corrigat, intus non regrediatur. Hoc ideo dicimus, quia timendum est, ne, dum unius neglegentia palpatur, et secundum regulam non corrigitur, aliae, quae proficere poterant, vitientur. Sed credimus de dei misericordia, quod, dum et vos sancte et spiritaliter agitis, et eas quae neglegentes sunt cum vera caritate corripitis, feliciter ac pariter ad aeterna praemia veniatis: praestante domino nostro Iesu Christo, cui est honor et imperium in saecula saeculorum. Amen.

66. Cum dei adiutorio PSALLITE SAPIENTER. Ordinem etiam, quo modo psallere debeatis, ex maxima parte secundum regulam monasterii Lyrinensis in hoc libello iudicavimus inserendum.

In primo die paschae ad tertiam psalmi duodecim cum alleluiaticis suis et antiphonis; tres dicantur lectiones, una de Actibus apostolorum, alia de Apocalipsi, et de Evangelio tertia; hymnus IAM SVRGIT HORA TERTIA. Ad sextam, psalmi sex cum antiphona, hymnus IAM SEXTA SENSIM VOLVITVR, et lectiones. Ad nonam similiter dici debent psalmi sex cum antiphona, hymnus TER HORA TRINA VOLVITVR, lectio et capitellum. Ad lucernarium, directaneus brevis et antiphonae tres,

24 *sapienter*] Ps. 46, 8 29 *tertia*] Ul. Chevalier, Repertor. Hymnolog., n. 9400 31 *volvitur*] Ibid. 9383 32 *volvitur*] Ibid. 20340

1 pontificis *Mβ* 2 permisso] *MB*; permissum *T*; permissu *Cβμ* 3 permittatis *Cβμ* 3 sq. sed *usq.* studete] *om. B* sacram] *Cβμ*; sacra *MTα* 4 Romae] adiutoria *male suppl. Mα* 10 si forte] fuerit *B* fuerit] fieri *Mα*; *om. B* 14 salutatoria *M*; *om. B* 16 et] *om. T*; *s. l. suppl. B* 19 sq. et vos] *om. M* 20 sanctae, *omisso* et *Cβμ* 21 corrigitis *βμ contra cet.* 22 sq. cui est honor] *reliqua in B desiderantur* 23 amen] *omissis sqq. T immediate subiungit* Ordinem e. convivii *p.* 25, l. 26 *infra* 24—p. 23, l. 17 cum dei *usq.* ad lucem] *haec uno codice M servata sunt*

hymnus HIC EST DIES VERVS DEI: quem hymnum totum pascha et ad matutinos et ad vesperam psallere debetis. Et ad duodecimam in primis SOL COGNOVIT OCCASVM SVVM et psalmi decem et octo dicantur, antiphonae tres, et hymnus CHRISTE PRECAMVR ANNVE. Die alia, ad duodecimam, CHRISTE QVI LVX ES ET DIES hymnus dicatur. Et sic omni tempore vicibus isti duo hymni dicantur. Lectiones ad ipsam paschalem duodecimam duae, una apostoli, alia evangeliorum de resurrectione dicantur. Ad nocturnos psallantur psalmi decem et octo, antiphonae minores cum alleluiaticis suis, et lectiones duae, hymnus et capitellum. Hoc ordine toti septem dies sunt celebrandi.

Post pascha vero ipsi nocturni dicendi sunt usque ad kalendas octobris, et usque kalendas augusti sexta feria tantum et dominica vigilentur. Post pascha vero usque ad pentecosten sexta feria semel reficiendum est. Et post duodecimam sex missae futurae sunt, hoc est, lectiones decem et octo memoriter dicendae sunt; et post psalmi decem et octo, antiphonae tres. Post nocturnos vero missae tres ad librum fieri debent usque ad lucem.

67. IEIVNIVM. A pentecost. usque ad kalendas septembris ab hinc eligite quo modo debeatis ieiunare, id est, quo modo virtutem vel possibilitatem viderit mater monasterii, sic studeat temperare. A kalendis septembribus usque ad kalendas novembres secunda et quarta et sexta feria ieiunandum est: a kalendis vero novembribus usque ad natalem domini, exceptis festivitatibus vel sabbato, omnibus diebus ieiunare oportet. Ante epiphaniam ieiunandum septem diebus. Ab epiphania vero usque ad anteriorem hebdomadam quadragesimae, secunda, quarta, et sexta feria ieiunandum est.

68. Natal. domini et epiphaniorum ab hora tertia noctis usque ad lucem vigilandum est, ita ut ante nocturnos missae sex de propheta Isaia, et post nocturnos missae sex de evangelio dicantur. In epiphania ante nocturnos missae sex de Danihel fiant; post nocturnos de evangeliis missae sex. Cotidianis vero diebus ad tertiam, sextam, nonam, seni psalmi cum antiphonis, hymnis, lectionibus vel capitellis suis dicantur. Dominica vero die vel sabbatorum, ad tertiam psalmi sex; post quos lectiones tres, una de prophetis, alia de apostolo, tertia

---

1 *dei*] Ibid. 7793 3 *suum*] Ps. 103, 19: „qui per omnem mundum dicitur et in ecclesiis et in monasteriis ad duodecimam horam", ut testatur ipse Caesarius, serm. 10 collectionis Lemovicen. a me edito Rev. Bénéd. XVI (1899), p. 298 4 *annue*] Chevalier, 2923 5 *dies*] Ibid. 2933. 2934

18—28 Ieiunium *usq.* vigilandum est] *in* $C\mu$ *quoque ista habentur* 18 sq. abhinc *usq.* id est] *om.* $C\mu$ 21 sq. et . . . et] *om.* C 25 ad anteriorem] M; anteriorem *om.* μ; ante C kadragesimae C 26 feria] *om.* $C\mu$ 27 natalis α epyphaniorum C; ephiphania M; epiphania $\alpha\mu$ 28 sq. propheta Isaia] M; prophetia Isaiae α 30 Danihel] M; Daniele α

ex evangeliis; et post ipsas lectiones psalmi sex, antiphona una, hymnus et capitellum. Cunctis diebus festis ad duodecimam psalmi, qui ad tertiam dicendi sunt, antiphonae tres iungantur; lectiones vero de re, hoc est, de ipsa festivitate dicantur.

69. A kal. octob. usque ad pascha addite secundos nocturnos, id est, psalmos XVIII, lectiones duas et hymnum. Ad primos nocturnos, in primo dicite: MISERERE MEI DEVS SECVNDVM MAGNAM MISERICORDIAM TVAM; in fine REX AETERNE DOMINE. A secundo nocturno: MAGNA ET MIRABILIA. Alia nocte ad primum nocturnum dicendum est: MEDIAE NOCTIS TEMPVS EST; ad secundum: AETERNE RERVM CONDITOR. Ad secundos nocturnos in primis incipite: MISERERE MEI DEVS, MISERERE MEI. Post nocturnos legantur orationes tres; psallantur antiphona, et responsus, et alia antiphona. Post hoc usque ad lucem impleantur missae quatuor. Si fieri potest, numquam minuantur: numquam maturius, numquam tardius excitentur. Post hoc matutinales canonici dicantur: privatis diebus cum antiphonis, festis vero diebus cum alleluia psallantur. Omni dominica sex missae fiant, postea matutinae fiant. In primis dicite directaneum parvulum: CONFITEMINI cum antiphona, CANTEMVS DOMINO et omnes matutinarii cum alleluiis dicantur. Sabbato enim et omnibus diebus festis vigiliae celebrentur. In sollemnitatibus vero ipsis, impletis matutinis, et hymnum dicant TE DEVM LAVDAMVS. In exteriore oratorio procedendum est, et dicendum est directaneus parvulus; post hoc canticum CANTEMVS DOMINO, deinde benedictio trium puerorum; post benedictionem hymnus GLORIA IN EXCELSIS DEO. Deinde dicenda est prima cum psalmis sex, et hymnus FVLGENTIS AVCTOR AETHERIS; lectiones duae, una de veteri, alia de novo testamento, et capitellum. Hoc modo dominica vel sabbato et maioribus festivitatibus fieri debet. Ad vesperam simili modo in exteriore oratorio directaneus parvulus dicatur, et antiphonae tres; hymnus una die DEVS QVI CERTIS LEGIBVS, altera die DEVS CREATOR OMNIVM. Omnibus vero diebus dominicis ad vigilias evangelia legantur: sed semper in prima missa una resurrectio legatur; altera dominica altera resurrectio, sic et tertia, sicque quarta. Et dum illa prima missa in resurrectione legitur, et semper in prima missa una resurrectio legitur, nemo sedere

8 *tuam*] Ps. 50, 3 *domine*] Chevalier, n. 17393 9 *mirabilia*] Ibid. 10922: cf. Rev. Bénéd. XXVI (1909), p. 464—67 10 *tempus est*] Chevalier, 11420 *conditor*] Ibid. 447 11 *mei*] Ps. 56, 2 18 *confitemini*] Ps. 117, 1 19 *domino*] Ex. 15, 1 21 *laudamus*] Chevalier, n. 20086 24 *puerorum*] Dan. 3, 57 sqq. 24 *deo*] Chevalier, n. 7280 26 *aetheris*] Ibid. 6608 30 *legibus*] Chevalier, 4489 30 *omnium*] Ibid. 4426

2 psalmi] *s. l. suppl. M* 7 in primo] *pro* in primis, *ut l. 11 infra* 8 ad secundos nocturnos *legendum videtur, ut l. 10 sq.* 12 sq. et resp. et alia ant.] *ad marg. suppl. M* 19 sq. sabbato *usq.* celebrentur] *in ima pagina suppl. M*

praesumat; postea vero in illis quinque missis, quae sequuntur, omnes secundum consuetudinem sedeant.

Quando festivitates martyrum celebrantur, prima missa de evangeliis legatur, reliquae de passionibus martyrum. Privatis vero diebus in vigiliis ordine suo libri novi vel veteris testamenti legantur. In hieme omni die post nocturnos tres missae fiant. Ante omnia ipsa lectio in vigiliis ita temperanda est, ut et desiderari et semper augere .... Et ideo per singulas orationes binae aut certe non amplius ternae paginae relegantur. Si vero evenerit, ut tardius ad vigilias consurgant, singulas paginas, aut quantum abbatissae visum fuerit, legant: in cuius potestate erit, ut, quando signum fecerit, qui legit, sine mora consurgat, ut canonicus missarum numerus possit impleri. Pro qua re ipsae vigiliae sic temperentur, ut, quae sanae sunt, post vigilias somno non opprimantur. Omni tempore post matutinos usque ad secundam horam legant; postea vero faciant opera sua.

70. Quando aliqua defuncta fuerit, paucae sorores illam vigilent usque ad mediam noctem, et legatur apostolus; post mediam vero noctem illae, quae vigilaverunt, usque ad matutinos requiescant, et reliquae vigilantes unam missam faciant de evangeliis, reliquas de apostolo. Et hoc, si aliqua senior de hac luce migraverit: si vero iunior fuerit, de apostolo fiant missae usque ad matutinos. Ante omnia studendum est, ut, cum aliqua de sororibus defuncta fuerit, sancto episcopo in notitiam deponatur, ut ipse eam usque ad basilicam, ubi ponenda est, psallendo pro sancta devotione deducat, et clerici de sancta Maria.

71. ORDINEM ETIAM convivii huic regulae inserendum esse credidimus. Ciborum omnibus diebus in ieiunio tria, in prandio bina tantummodo praeparentur. In festivitatibus maioribus ad prandium et ad cenam fercula addantur et recentes ad dulciamina addendae sunt. Cotidianis vero diebus ad prandium in aestate binos caldellos, in hieme ad prandium binos caldellos; ad refectionem ternos caldellos accipiant, ad cenam vero bini caldelli sufficiunt. Iuniores vero ad prandium, ad cenam, ad refectionem binos accipiant. Pulli vero infirmis tantummodo praebeantur: nam in congregatione numquam ministrentur.

---

7 augere] *aliquid hic desiderari notat Bollandus*; augeri *corr. Cl. Blume* (*Der Cursus s. Benedicti, Leipzig 1908, p. 38*) *et suppl.* possit 9 relegantur] re *s. l. suppl. M* 24 clericis *suggerit Br. Krusch, MG. Script. rer. merov. t. III, p. 481, not. 1* 26 Ordinem etiam] *ab his rursum TCβμ cum Mα prosequuntur* credidimus] *TCβμ*; credimus *M* 27 ciborum] *α*; cyborum *M*; cibaria *cet.* 29 recentes *MT, et sic prorsus scribendum:* cf. s. Aviti epist. 74 (65) et 86 (77); recedentes *Cβ*; recedentibus *μ* ad] *ex* de *coniectura emendavi*; de ea βμ *marte suo* dulciamina] dulciamen *C* addendae] *TC*; *ex* addenda *corr. M*: *apud Avitum quoque 'recentes' feminei generis sunt*; addenda *βμ* 30 sq. in hieme *usq.* ternos caldellos] *om. M* 31 accipient *βμ* 32 ad prandium] *om. α* ad cenam] et *add. M*

Carnes vero a nulla umquam penitus in cibo sumantur; si forte aliqua in desperata infirmitate fuerit, iubente et providente abbatissa accipiat.

72. Vos tamen, piissimae sorores, coram domino deo nostro obtestor et deprecor, ut humilitati meae, vel sanctarum matrum vestrarum, id est, institutoribus monasterii et regulae conditoribus hanc in perpetuum gratiam referatis, ut pro nobis diebus ac noctibus intercessio vestrae caritatis invigilet, et publica oratione vel in diurnis sollemnitatibus vel in nocturnis excubiis deprecatio vestrae sanctitatis obtineat, ut ascendens ad conspectum domini petitio vestra dignum vel me ecclesiae suae pontificem, vel illas servitio sanctarum virginum constituat et concedat esse praepositas; et cum ante tribunal illius coeperimus creditorum talentorum reddere rationem, si quae sunt culpae vel neglegentiae, sive meae circa curam ecclesiae, sive matrum vestrarum erga sibi creditarum, intercessu vestro dominus nobis remittere, et culparum vulnera remissionis medicina sanare dignetur. Quia nec emendantur culpae, nisi sanctorum orationibus ille remiserit; nec remittit, nisi fuerint emendatae.

73. Et quia propter custodiam monasterii aliqua ostia sive in veteri baptisterio, sive in scola vel in textrino, aut in turre iuxta pomerium clausi atque damnavi, nullus illa umquam sub qualibet utilitatis specie aperire praesumat: sed liceat sanctae congregationi resistere, et, quod famae vel quieti suae incongruum esse cognoscunt, fieri non permittant.

Caesarius peccator regulam hanc sanctarum virginum relegi ac subscripsi: notavi sub die X kl. iul. Paulino consule tempore.

Simplicius peccator consensi et sign.

Severus episcopus consensi et signavi.

Lupercianus episcopus consensi et signavi.

---

27 *Simplicius*] Sanitiensis? 28 *Severus*] ignotae sedis ad concilium Arelatense an. 524 Catafronium presbyterum delegavit 29 *Lupercianus*] Foroiuliensis, ut plerique volunt nullo tamen certo argumento

---

1 si] nisi *M* 2 et] *om. Cβμ* 4 tamen] tandem *μ* nostro] *M*; non *T*; *om. Cβμ* 6 reg. et monast. *βμ* 8 et] *om. βμ* 10 ad] ante *M* petitio] *MT*; deprecatio *Cβμ* 11 serv. s. virginum] *TCβμ*; sanctae congregationi vestrae *M* 13 creditori *M* 14 circa] *mss.*; erga *μ*; *om. β* 15 creditarum] *subaudi* '*curam*' *MT*; creditas *Cβμ* 19 hostia *MC* 20 testrino *M* pomerium] *M*; pomarium *cet.* 22 licet *μ* 24 permittant] *in Cβμ omissis sqq. subscriptionibus intruduntur capitula 31 et 66 Regulae s. Benedicti ad cellarariam et portariam adcommodata* 25 sq. relegi ac subscripsi] *M*; rexit (*pro* relexit?) et scripsit *T Martène* notavi] *M*; *om. T* 26 Paulino c. tempore] *T Martène*; Paulino v. c. cons. *Br. Krusch p. 448, not. 3: recte quidem, sed unde sumptum? Reliquas subscriptiones episcoporum ad Regulam an. 534 T unus servavit* 27 consensit] *Martène*; t *exp. T*



Monogramma Caesarii (2)
ex codice Turonensi.

Iohannes consensi et signavi.
Cyprianus episcopus consensi et signavi.
Montanus consensi et signavi.
Firminus peccator consensi et signavi.

1 *Iohannes*] is fortasse, cuius nomine Desiderius presbyter concilio Arelat. an. 524 subscripsit 2 *Cyprianus*] Telonensis, s. Caesarii discipulus et biographus (Arel. 524) 3 *Montanus*] eidem concilio an. 524 interfuit, sed sedes ignota est 4 *Firminus*] Uceticensis, ut videtur, ipse quoque Caesarii amicus et biographus

2 Ciprianus *T* 4 Ferminus *Martène* signavi] *sequitur in T monogramma Caesarii, ut supra p. 17, l. 21, et epistola 'Vereor' ad Caesariam abbatissam; in Mα vero epistola 'Exulto' Hormisdae papae cum subscriptionibus episcoporum, ac demum orationes super defunctae corpus.*

DOCVMENTA IN CODD. *M* ET *T* REGVLAE ADNEXA.

Quod superius dixisse me memini, textui Regulae in *Ma* subiuncta sunt documenta duo: 1⁰ „Sacra sanctissimi papae urbis Romae" Hormisdae (514–523), qua Arelatensi parthenoni privilegia et possessiones confirmantur, cuique septem postea episcopi a Caesario rogati subscripsere; 2⁰ Orationes super defunctae corpus in eodem coenobio iam saeculo VI, ut videtur, usu receptae. Ambo haec denuo recensere visum est, cum in nullo alio nisi in praefato codice habeantur, nec parum horum prius conferat ad Regulae historiam inlustrandum, posterius vero ad textum sacramentarii Gelasiani, ex quo pleraeque huiusmodi formulae excerptae sunt, emendandum.

Tertium documentum ad haec usque tempora ineditum ex codice *T*, ne omnino periret, addidi: statutum abbatissae monasterii Sancti Caesarii (forte an Caesariae iunioris?), quo cavetur, ne spatia sepeliendis monialibus destinata a saecularibus usurpentur. Quod quidem primum evulgavi RB, p. 19 sqq.

I.

DILECTISSIMO FRATRI CAESARIO HORMISDA.

Exulto in domino, dilectissime frater, et indesinenter exulto, ita apud te religiosae studium vigere reverentiae, ut indefessae sollicitudinis continuatione pervigiles, quatenus in ecclesia dei, quicquid ad cultum eius pertinet, novis quoque profectibus augeatur, et de cetero non aliquid satis officio putes, nisi semper adiunxeris. Est tibi fideli cura specialis infixus propositus, et unde amabilis deo propheta, cum diceret EGO SEMPER IN TE SPERAVI DOMINE, devotionem hanc sibi non credens suffecisse, subiunxit: ET ADICIAM SVPER OMNEM LAVDEM TVAM. Amor verus non est solitus esse contentus obsequiis; et defectum sui caritas putat, nisi fervor dilectionis exaestuet. Videat licet inhaerentem praecordiis fidem ut secretorum speculator et cognitor

11 *tuam*] Ps. 70, 14

1 Dilectissimo] Paulinus *praem. Mα, nimirum ex praecedenti Caesarii ad Regulam subscriptione, cui 'Paulini' consulis nomen adpositum legitur* 7 specialis . . . cum diceret] *locus a librario vexatus; sugger. Coustantius* et speciali infixus ac propositus exinde amabilis deo propheta, qui cum diceret; *ego quidem solummodo emendarim* specialius infixum propositum

deus, non tamen dispensationem suam patitur occuli, aut thesaurum suum citra incrementum celari: iubet cultores suos arcanam reverentiam in aperto producere, et laudem suam personanti exultatione cantare. Haec ideo, quia in Arelatensi ecclesia super clericorum et monachorum excubias consuetas puellarum quoque dei noviter choros instituisse te directis litteris indicasti, poscens, ut in praefato puellarum monasterio a te nuper condito nullam potestatem successores quandoque tui habere penitus permittantur: quatenus sacratae dei virgines ab omni inquietudine vel molestia absolutae omnipotenti deo liberis mentibus valeant iugiter famulari.

2. Digna providentia sacerdotalibus institutis, ad pudicitiam decantandam deo corda conpungere, et sacro cultui de illis seminibus mysticis fructum virginitatis offerre. Hoc esse summum votum suum in illis voluminibus sacris declaravit apostolus dicens: DESPONSAVI VOS VNI VIRO VIRGINEM CASTAM EXHIBERE CHRISTO. Quam ob rem petitionibus fraternitatis tuae libentissime annuentes apostolica auctoritate firmamus atque decernimus, ut nullus episcoporum, successorum quoque tuorum, in ante dicto monasterio audeat sibi potestatem aliquam penitus vindicare, nisi tantum pro dei intuitu pastoralem sollicitudinem gerens familiam Christi domini ibidem positam congruis quibusque temporibus, iuxta quod condecet, sincero animo cum suis clericis studeat visitare. Tum deinde aequum est, ut parili devotione uterque sexus locis sibi congruis consistens dei gloriam concinat, sicut stabili atque plenissima fide uterque spem redemptionis expectat.

3. Quod autem venditionem a dilectione tua donationemque in monasterio earundem puellarum dei ante factam nostra postulas auctoritate roborari, sperans, ut ecclesiasticorum alienatio praediorum non praesumatur in posterum, nostris interdicta decretis, probamus propositum tuum, et desiderium in tantum fatemur esse laudabile, ut gaudeamus vobis quoque eadem non licere. Sed non oportuit distrahi, quod ecclesiae servituris de ecclesiae substantia ratio suadebat prorsus emptione concedi. Boni operis fructum decet esse gratuitum. Expectanda est recti studii merces potius quam petenda, ne per utilitatem venditionis inminuatur remuneratio caritatis. Confirmamus tamen circa monasterium virginum a vobis vel venditum vel donatum, et sub eadem via alienationem ecclesiasticorum praediorum decretis praesentibus exhibemus. Quod per sacerdotes omnes ad caritatis vestrae dioecesim pertinentes sub vestra dispositione perferte: aequum

15 *Christo*] II Cor. 11, 2

16 libentissime] *Mα*; *om. Thiel* 22 deinde] *Mα*; denique *Thiel* 25 ad dilectionem tuam *mendose Mα* 31 de ecclesia *M* 37 exhibemus] *iuridica locutio, quam sine causa Labat in* inhibemus *mutandam existimavit* 38 diocesim *M*

est enim, ut, quae salubriter ordinantur, generaliter oboediant. Deus te incolomem custodiat, frater carissime.

Marcellus episcopus relegi et consensi.
Iohannes consensi et subscripsi.
Severus consensi et subscripsi.
Cyprianus relegi et consensi.
Contumeliosus episcopus relegi et consensi.
Montanus episcopus relegi et consensi.
Petrus in Christi nomine relegi et consensi.

II.

INCIPIVNT ORATIONES SVPER DEFVNCTAE CORPVS. HOC EST QVANDO MIGRAT SOROR DE CORPORE.

Pio recordationis affectu, fratres carissimi, memorationem faciamus carae nostrae ill. quam dominus de temptationibus huius saeculi adsumpsit. obsecrantes misericordiam dei nostri. ut ipse ei tribuere dignetur placitam et quietam mansionem. remittat omnes lubricae temeritatis offensas. ut concessa venia plenae indulgentiae quicquid in hoc saeculo proprius error adtulit. totum ineffabili pietate ac benignitate sua conpenset: per dominum nostrum Iesum Christum filium suum.

ITEM ALIA.

Te domine sancte pater omnipotens aeterne deus supplices deprecamur pro spiritu famulae tuae ill. quam de voraginibus huius saeculi ad te arcersire praecepisti. ut digneris domine dare ei locum refrigerii et quietis. Liceat ei transire portas infernorum et vias tenebrarum. maneatque in mansionibus sanctorum. et in luce sancta. quam olim Abrahae promisisti et semini eius. nullam laesionem sustineat spiritus eius. sed cum magnus dies ille resurrectionis ac regenerationis advenerit. resuscitare eam digneris domine una cum sanctis et electis tuis. deleas ei delicta atque peccata. usque ad

3 *Marcellus*] Sanitiensis: synod. Agathen. a. 506 4 *Iohannes*] Foroiuliensis? 5 *Severus*] ignotae sedis: synod. Arelat. a. 524 6 *Cyprianus*] Telonensis 7 *Contumeliosus*] Regensis 8 *Montanus*] ignotae sedis: synod. Arelat. a. 524 9 *Petrus*] „episcopus de Palatio" synod. Agath.? 13 *Pio recordationis*] G (= Sacram. Gelas. ap. Muratori, Liturg. rom. vet. t. I), col. 747 21 *Te domine*] Ibid. 749

13 effectu *M* commemorationem *G* 15 ei] *ex G suppl.* 16 remittat] *item ex G* 19 tuum *M* 22 sq. de vorag.] ab originibus *G mendose* 23 arcersire] *M*; accersire α arcessire *G* ei] locum lucidum *interser. G* 27 spiritus] anima *G*

novissimum quadrantem. tecumque immortalitatis vitam et regnum consequatur aeternum. per dominum nostrum qui venturus est.

SVPRA SEPVLCHRVM QVANDO SEPELITVR.

Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more conplentes. deum cui omnia vivunt fideliter deprecemur. ut hoc corpusculum a nobis in infirmitate sepultum. in virtute et ordine sanctorum resuscitet. et eius spiritum sanctis ac fidelibus iubeat adgregari. cuique in iudicio misericordiam tribuat. quamque morte redemptam. debitis solutam. patri reconciliatam. boni pastoris humeris reportatam. spiritu sancto protectam. in comitatu aeterni regis perenni gaudio. et sanctorum consortio perfrui concedat. qui vivit et regnat.

ITEM ALIA.

Omnipotens aeterne deus. qui humano corpori a te ipso animam inspirare dignatus es. dum te iubente pulvis pulveri redditur tu sane imaginem tuam sanctis et electis una cum angelis et archangelis iubeas sociari.

ITEM ALIA.

Praesta domine Iesu Christe defunctae famulae tuae ill. remissionem ac solatium. ut quae hodie destitutam se terrenis opibus cernit. nunc admirabilem splendorem laeta sanctorum consortio et requie glorietur. per dominum.

ITEM ALIA.

Conmendamus tibi domine animam sororis nostrae ill. ut propter quam ad terras tua pietate descendisti. patriarcharum tuorum sinibus insinuare non rennuas. Migranti in tuo nomine de hac mobilitate incerta sempiternam illam vitam atque laetitiam in caelestibus praesta domine. qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

---

4 *Debitum*] Ibid. 751 13 *Omnipotens*] Ibid. 18 *Praesta*] Non extat in G, neque in indice Wilsoniano notatur 23 *Commendamus*] G 751

---

2 qui venturus est] *non habet G* 5 corpus *G* 7 spiritum] animam *G* 10 spir. s. protectam] *non habet G* perhenni *M* 11 consortium *M* 13 ad te *male G* 14 redderitus, er *post exp. M* tu] *G*; tui *M*α sane] *non hab. G* 15 tuam] cum *inser. G* electis] tuis *add.G* 15 sq. una c.a.e.a. iubeas] aeternis sedibus praecipias *G* 20 requiem *M* 23 sq. ut propter] precamur *G* 25 rennuas] sed miserere *inser. G* mobilitate] instabili et tam *G*

III.

STATVTVM ABBATISSAE SANCTI CAESARII DE IVRE SEPVLTVRAE SERVANDO.

. . . . vel amico. vel patrono. vel deservienti. ad ipsam basilicam sancta Maria in quolibet officio defuncto locum sepulturae intra capsum ipsius vel intra latera sanctorum ei adiacencia. hoc est sancti Iohannis et sancti Martini. nullatenus indulgere. neque in eo membro quod ibi nuper videtur subiunctum. in quo licet aliqui praedecessores presbiteri videantur esse sepulti. considerandum tamen sit. quod illo tempore inevitabilis fuit causa necessitatis. quia sacrarium erat; nunc vero ratione data excluditur. quia membrum ipsum basilica facta est. devotis virginibus praeparata sepeliendis. non clericis. quibus per alteras basilicas debitus sepulture negari non potest locus; Nam si deservientium occupetur sepulturis orationis ambitus. numquid iustum videbitur. ut nos foris eiciamur quandoque sepeliendae, quibus voluit deus sicut vitae unum esse ovile, ita et aream unam esse in possessione sepulcri? Qua propter ad evadendam transgressionis poenam. si contra regulam quidpiam in huius modi facto praesumatur. propter scripturam dicentem: NE TRANSGREDIARIS TERMINOS ANTIQVOS. QVOS POSVERVNT PATRES TVI. ad conservandum ipsius resurrectionis consortium secundum eum. qui dedit et vitae unius contubernium. conspirata Christo inspirante deliberatione subscribamus; Hoc constitutum nostrum perpetua inter nos valeat. qui nobis deo volente successerint. observatione memorandum. non solum cum iureiurandi. . . . .

6 *et sancti Martini*] De his fabricis sepulturae monialium paratis cf. ea quae habentur in *Vita Caesarii*, I, 57 et II, 50 19 *tui*] Prov. 22, 28

10 ratione] *pro* ratio ? 14 eiciamur] *coni*; ei damur *T* 17 modo *T* propter] qua propter *T* 19 conservandam *T* 22 nos . . . qui] *pro* eas . . . quae? valeas *T*

S. CAESARII AD SANCTIMONIALES EPISTOLAE.

Nomine Caesarii tres ad sanctimoniales epistolae vulgatae sunt, ex quibus duae priores tantum mea sententia omnino fidem habent: quae ex Holstenii codice regularum in MBP XXVII, 347 sq., deinde nostra aetate in Migne Patr. lat. 67 (= μ) transierunt. Uno tantum, ut videtur, codice usus est Holstenius, eo nimirum qui in Bibliotheca Vaticana inter Reginenses lat. numero 140 signatus (foll. 120 sqq.) et in coenobio Floriacensi saec. IX–X scriptus est, uti apparet ex nota quae non semel in margine legitur: „Hic est liber sancti Benedicti". Et hunc quidem littera K^2 designavi. Altero etiam codice usus sum, nempe Tolosano 162 (I, 91), in quo eadem fere, quae in Vatic. Regin. 140, habentur: qui, quamvis aetate posterior sit (saec. XII), meliores tamen lectiones plerumque servavit. Caesarii ad virgines epistolae foll. 57 sqq. descriptae sunt; codicem autem ipsum littera K^6 indicavi. Porro legentis animo statim patebit, quantum haec nostra editio textui Holsteniano integritate et puritate antecellat.

I.

INCIPIT EPISTOLA SANCTI CAESARII EPISCOPI ARELATENSIS AD CAESARIAM ABBATISSAM EIVSQUE CONGREGATIONEM.

Coegisti me, famula dei, ac venerabilis in Christo soror, et crebris petitionibus extorsisti potius quam rogasti, ut qualemcumque sermonem exhortatorium tibi scribere deberem: non quod ad scientiam vel ad perfectionem tibi quicquam conferre possim, sed in quo magis providentiam meam facile deprehendere queas. Quod ego diu multumque renisus facere distuli, verens iactantiae simul inpudentiaeque notam incurrere; praesertim cum sciam te divinis voluminibus assidua meditatione vacare, nihilque quod ad perfectionem tuam attinet te penitus ignorare. Sed quid faciam? Negare non audeo, quod implere nequeo. Tanta enim est in petendo et in iubendo fides simul et auctoritas, atque in extorquendo perseverantia, ut tibi quicquam negare inreligiosum videatur. Tamen si das fidem nulli te lecturam alii, nec ad legendum addituram, secundum quod deus vires dederit, faciam quae hortaris. Danda mihi venia est, si opus iniunctum digne

1—3 *inscriptio ex* $K^{2.6}$ 4 crebrius K^2 7 possit K^6, *corr.* possim K^2 8 prudentiam $K^{2.6}$ 9 inprudentiaeque K^2; et inprudentiae K^6 13 sq. in] *trino loco s. l. add.* K^6; *om.* $K^2\mu$ 16 addituram] $K^{2.6}$; edituram μ *mera puto coniectura*

implere nequivero; tibi potius inputandum, quae ut hoc adgrederer imperasti. Remoti igitur a temeritate, atque ab elatione liberi, proposito insudemus operi; nec de mediocritate diffidamus ingenii, quod credimus merito tuae orationis adiuvari. Hoc tamen scire te volo, nihil me tibi statuisse scribere, nisi quod ad perfectae vitae normam emendationemque morum te possit instruere; non quod exposita beatitudine virginitatis pedibus tuis subiciat mundum. Haec in eorum pedibus illi scribere studeant, a quibus laudari cupiunt; nobis alio longe pergendum est itinere.

2. Igitur hoc primum studium primaque cura sit tibi, scire voluntatem domini tui, et diligenter inquirere quid ei placeat, quidve displiceat, ut rationabile deo secundum deum reddas obsequium: quia fieri potest, ut votum obsequendi quisque offendat, qui quomodo obsequi debeat antea non didicit. Inter omnia dei praecepta generale mandatum est de iustitia: quia nulli transgredi omnino licet, quod omnibus imperatum est. De virginitate itaque dicitur: QVI POTEST CAPERE CAPIAT; de iustitia vero non dicitur, Qui potest facere faciat, sed OMNIS QVI NON FECERIT FRVCTVM BONVM, EXCIDETVR ET IN IGNEM MITTETVR. Quam salvator plenissime quidem, sed breviter in evangelio conprehendit, dicens: OMNIA QVAECVMQVE VVLTIS VT FACIANT VOBIS HOMINES, ITA ET VOS FACITE EIS. Igitur perfectionis secuta consilium VIDE NE RESPEXERIS RETRO, SED IN MONTE SALVAM FAC ANIMAM TVAM. Quia enim cupis scandere vitam, per angusti itineris illius callem tendendum est, derelicto mundi itinere spatioso maximeque saeculi pompa, quae corpore apostolicam vis exhibere virginem, quae lampadam tuam bonorum oleo accensam, cogitando semper quae domini sunt, in obviam praepares sponsi. Qualis debet esse perfectio, cuius tale fuit principium? Omne opus levius agitur, cum eius principium semper agitatur. Quamvis quisque perfectus DISSOLVI desiderat ET ESSE CVM CHRISTO, interim in hac vita necesse est, ut numquam desinat cum vitiis habere conflictum, si vult se de hoste referre triumphum.

12 *obsequium*] Cf. Rom. 12, 1 17 *capiat*] Matth. 19, 12 19 *mittetur*] Matth. 3, 10 21 *eis*] Matth. 7, 12 22 *tuam*] Cf. Gen. 19, 17 30 *Christo*] Philipp. 1, 23

4 scire te] K^6; scire (*om.* te) K^2; sciri μ 6 emundationem K^2 non] $K^{2.6}$; *om.* μ 6 sq. expositam beatitudinem K^2, m *post delet.* K^6 7 tuis] $K^{2.6}$; *om.* μ 8 a] *s. l. suppl.* K^6; *om.* K^2 μ 11 domini] dei *add.* K^6 15 mandatum] K^2 μ; praeceptum K^6 quia] μ; quae K^2; quam K^6 17 de iustitia v. n. d. q. p. facere faciat] $K^{2.6}$; *om.* μ 21 ita] *om.* K^6 eis] illis K^6 23 quia] que *ex* qui *corr.* K^6 24 derelicto m. itinere spatioso maximeque K^6; derelicta m. (*om.* itinere) spatiosa maximaque K^2 μ 25 quae . . . quae] K^6; quam . . . quam $K^2\mu$ 26 lampadam] $K^{2.6}\mu$; *post corr.* lampadem K^6 28 talis K^2 29 agitatur] $K^{2.6}$; *corr.* agatur $K^2\mu$ 30 cum Christo esse K^6 interim] $K^{2.6}$; *om.* μ 31 se] $K^{2.6}$; *om.* μ

3. In primis namque contra superbiae morbum fortiter dimicandum est, ut vitiorum capite radicitus evulso cetera vitia, quae ex eo prodeunt, facilius extirpentur; nec enim est ad ruinam facilior lapsus, de qua scriptura dicit: INITIVM OMNIS PECCATI SVPERBIA. Recte namque: quia sicut origo est omnium criminum, ita inimica cunctarum virtutum; in peccato enim ipsa est prima, et in conflictu postrema. Haec enim aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut novissime de virtutibus deicit: unde et omnium peccatorum est maxima, quae tam per virtutes quam per vitia humanam mentem exterminat. Plerumque ex culpa superbiae in abominandam carnis inmunditiam itur, quia alterum pendet ex altero: nam sicut per superbiam mentis itur in prostitutionem libidinis, ita per humilitatem mentis salva fit castitas carnis. Deus autem nonnumquam deicit occultam superbiam mentis per manifestam ruinam carnis. Principaliter namque his duobus vitiis humano generi diabolus dominatur, id est, per superbiam mentis et luxuriam carnis; unde et de diabolo ad Iob loquitur dominus dicens: SVB VMBRA DORMIT, ET IN SECRETO CALAMI ET LOCIS VMECTIBVS. Per calamum enim inanis superbia, per loca vero umecta carnis demonstratur luxuria: per haec enim duo, ut diximus, vitia diabolus humanum possidet genus, vel dum mentem per superbiam erigit, vel dum carnem per luxuriam consumit. Forti enim adnisu necesse est contra luxuriam repugnandum, quia intus est hostis inclusus. Omnis virtus diaboli contra viros in lumbis, adversus feminas in umbilico est ventris; de quo scriptum est: VIRTVS EIVS IN LVMBIS, ET POTESTAS IN VMBILICO VENTRIS EIVS. Qui enim delectationem non refrenat libidinosae suggestionis, cito transit ad consensum libidinis; nam facile resistit operi, qui titillanti non adcommodat aurem delectationi. Quamvis sanctorum intentio inconcussa in amore dei persistat, de carne tamen, quam exterius gestant, multa praelia interna tolerant: sed deus, qui haec ad probationem permittit, gratia protegente suos non deserit. Propterea ex corde sunt fornicationes amovendae, ut non prorumpant in opere. Hinc per prophetam dicitur: ACCINGITE LVMBOS VESTROS SVPER VBERA, hoc est, libidines in corde resecate. Quando instigatione daemonum mens uniuscuiusque iusti impetitur, divini iudicii metus, aeterna

4 *superbia*] Eccli. 10, 15 17 *umectibus*] Hiob 40, 16 25 *eius*] Hiob 40, 11 33 *ubera*] Esai. 32, 11. 12

8 quae] K^6; qui K^2; quia μ 11 pendit K^2 17 dormit] et *sq. om.* K^6 et in locis K^6 umectibus] $K^{2.6}$ *an pro* umectis?; humentibus μ *Vulg.* 18 umecta] $K^{2.6}$; humentia μ 22 repugnandum] re *post. del.* K^6 intus] K^6; inter. K^2; interius μ 23 umbilico est] $K^{2.6}$; est *om.* μ ventris] *recte* μ ; virtus K^2; *post exp.* K^6 24 et] *om.* K^6 27 adcomm.] se *praem.* μ aurem] K^6; *om.* $K^2\mu$ sanctorum] dei *add.* $K^2\mu$ 28 persistit K^6 29 gestant . . . tolerant] K^6; gestat . . . tolerat $K^2\mu$ 30 deserit] desinit K^6 34 impetitur] *coniectura scripsi*; impeditur *codd.* μ; *corr. ex* impenditur K^2 metus] et *inser.* K^6

tormenta ante oculos proponantur: quia nimirum omnis poena gravioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clavus clavum expellit, sic ardoris gehennae recordatio ardorem excludit luxuriae. Audi quid dominus de diabolo ad Iob fatetur dicens: STRINGIT CAVDAM SVAM QVASI CEDRVS; quia prima eius suggestio velut herba tenera facile absciditur: at si semel dentem delectationis fixerit, more cedri obdurescit. Praecipue fictam humilitatem fugiens, illam sectare, quae vera est, quam Christus docuit, in qua non sit inclusa superbia: umbram enim huius virtutis multi, veritatem autem sequuntur pauci. Verum enim humilem patientia ostendit iniuriae.

4. Numquam in iracundia succendatur anima tua, quia IRA VIRI IVSTITIAM DEI NON OPERATVR; quod si paululum te inflammaverit, festines necesse est ut expellatur. Nullum in anima tua invidia inveniat locum; pessimumque hoc malum est, quando de alieno bono quisque deterior fit: nam unde bonus proficit, inde invidus contabescit. Difficile namque ex hoc morbo quisque recipit medicinam, quia non vult patefacere culpam. Rara enim ex hoc confessio, quia saepe aliud pro alio dicitur, et ideo ad salutem numquam venitur; de quo ad populum beatus Cyprianus scripsit. Satis sollicitam ori tuo pone custodiam; nec quisquam facilius quam per linguam peccati contrahit maculam, teste Iacobo apostolo: LINGVAM NVLLVS HOMINVM DOMARE POTEST. Unde pie ammonet dicens: SI QVIS PVTAT SE RELIGIOSVM ESSE, NON REFRENANS LINGVAM SVAM, SED SEDVCENS COR SVVM, HVIVS VANA EST RELIGIO. Iuxta sententiam sapientissimi Salomonis, QVI DIMITTIT AQVAM, CAPVT EST IVRGIORVM; quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Unde et apostolus illum asserit esse perfectum, qui non offenderit in verbo. Sed multi dum indiscrete silentium custodiunt, quod prodesse proximis per verbum poterat subtrahunt: dumque eorum vitia aspiciunt quos per correptionem verbi corrigere potuerunt, dum claustra oris muniunt, proximum in pravitate derelinquunt; qui si districtius iudicentur, quantis verbo prodesse poterant, pro tantis reatu silentii culpabiles existunt. Duobus namque modis oratio impeditur, ut impetrare non valeat postulata: si aut quisque adhuc mala committit, aut si delinquenti sibi debita non dimittit; quod geminum

---

5 *cedrus*] Hiob 40, 12 12 *operatur*] Iac. 1, 20 22 *potest*] Ibid. 3, 8 24 *religio*] Ibid. 1, 26 25 *iurgiorum*] Prov. 17, 14 27 *in verbo*] Cf. Iac. 3, 2

---

1 omnis] K^6; omnium $K^2\mu$ 4 ad Iob] $K^{2.6}$; *excidit in* μ 5 cedrus] *codd.*; cedrum μ 6 abscinditur μ 13 festines] *recepi ex* μ; festinet K^2; festina K^6 14 pessimumque] $K^2\mu$; que *in* quia *post. corr.* K^6 quisque] *codd.*; quisquis μ 16 quia] *codd.*; *in* qui *mut.* μ 17 ex hoc] *deest in* K^6 20 ne quisquam K^2 21 testante K^6 27 indiscreto K^2 28 poterant K^6 30 sq. qui si] K^6; ut $K^2\mu$ 31 iudicentur] et *add.* μ 32 reatus K^2 existunt] K^6; existant $K^2\mu$ modis namque K^6

malum dum quisque a semetipso absterserit, protinus securus studio orationis incumbit, et ad ea, quae impetrare precibus cupit, mentem libere erigit.

5. In quantum praevales, cave ne recorderis faciem viri nisi in oratione pura; nam non in desiderii turpitudine idolum facias in anima tua. Regis mulier ad servos non deflectitur, et Christi sponsa ad mortales non respicit: quia eum qui pro se passus est diligit, eumque toto amore complectitur. Vultum sacerdotum ac levitarum cum timore aspice, eorum scilicet qui probati sunt, hoc sciens, quia amor caritatis habitat in illis. Vocem lectoris vita suavem, nec delectetur in desiderio anima tua; ne corrumpantur sensus tui, et excidant a castitate. Dicas forsitan, grandis labor est; sed respice quod promissum est. Considera, quaeso, praemii tui magnitudinem, si considerari potest, et praesentis iniuriae futuram mercedem ante oculos pinge. Post abscessus animae et carnis interitum in meliorem statum reparanda es, virgo: corpus terrae mandatum in caelo est elevandum; post haec angelorum es donanda consortio, regnum acceptura caelorum, et in perpetuum mansura cum Christo.

II.

De auctoritate secundae huius epistolae nulla dubitatio esse potest: singulae sententiae, singula fere verba Caesarium clamant. Porro iisdem codicibus usus sum atque in epistola praecedenti: K^2, fol. 123 sqq.; K^6, fol. 57 sqq. Textum etiam multis locis emendavi ope libri Turonensis 617 (= *T*), in quo post Regulae ultimam partem etiam fere tota haec epistola effugit excidium. Quae quidem in aliis fere innumeris codicibus et editionibus, at viris adcommodata et „Ad quosdam Germanos" inscripta legitur, insuper innumeris mendis et interpolamentis deturpata (= *Germ.*). Textus apud Holstenium adhuc peior quam in priore epistola, ut qui incredibili neglegentia ab ipso unico codice adhibito K^2 saepius abscedat: itaque nunc primum pulcherrimae scriptiunculae sensus ipsissimis Caesarii verbis expressos introspicere licebit.

CAESARIVS EPISCOPVS, MINIMVS OMNIVM SERVORVM DEI FAMVLVS, SANCTAE SORORI CAESARIAE ABBATISSAE, VEL OMNI CONGREGATIONI SVAE, IN CHRISTO AETERNAM SALVTEM.

Vereor, venerabiles in Christo filiae, ne, dum vobis pro conservanda quiete vel pudicitia rustico inperitoque sermone aliquid praesumo

1 absterserit] $K^2\mu$; abstraxerit K^6 5 desiderii] desiderio K^6, *ultima* i *corr. ex* o K^2 turpi ne K^6 facias] $K^{2.6}$; facies μ 7 eum] 1^0 *loco deest in* K^6 8 vultus K^6 cum timore] *om.* K^6 9 eorumque μ 10 vocem . . . suavem] $K^{2.6}$; voce . . . suavi μ vita] *s. l. suppl.* K^6, *om.* μ; *deesse aliquid ad marg. notat.* K^2 11 excidant] K^6; excedant $K^2\mu$ 11 dicis K^6 14 abscessus] *codd.* μ; *an pro* abscessum? 16 mandatum] commendatum K^6 17 in perpetuum] *scripsi*; in perpetuo *codd.* μ 20 sanctae sor. Caesariae] *T*; Caes. sanctae sor. *cet.*

suggerere, apud illos, qui nesciunt quanta sit virtus verae caritatis, notam videar praesumptionis incurrere. Ego enim licet peccatorum meorum sim conscius, et vestrae puritatis non sim ignarus, praesumo tamen tepidus ammonere ferventes, lentus et neglegens incitare currentes, languidus sanis consilium dare, et in via remanens ad aeternae vos patriae desiderium provocare. Et quia secundum sanctum votum vestrum frequentius vos visitare non valeo, hanc ammonitiunculam, in qua etiam antiquorum patrum capitula pauca inserui, et ariditatem sensus mei quasi vivorum fontium amoenitate condivi, cum perfecta caritate curavi sinceritati vestrae ad vicem praesentiae meae pia humilitate transmittere. Sed hanc praesumptionem, sicut dixi, ipsa mihi caritas ingerit, quae timere non novit. Et ideo rogo vos, venerabiles filiae, ut audaciae meae veniam dantes, quaecumque suggessero, patienter et benigne suscipiatis, et consulentes rusticitati vel verecundiae meae, qualemcumque exhortationem meam secretius relegite, nulli alii tribuentes, ne cuiuscumque eruditae aures rusticissimi sermonis nostri asperitate feriantur. Nos enim deo propitio licet nihil sinistrum de vestra conversatione sanctissima sentiamus, tamen propter multiplices laqueos inimici, de quo dicitur CVI SVNT NOMINA MILLE ET MILLE NOCENDI ARTES, propter illius ergo venenosas astutias et maleblandas concupiscentias sanctam vestram conscientiam qualibuscumque etsi tepidis sermonibus ammonemus; et licet minus idonei bellatores, arma vobis spiritalia contra ignitas sagittas diaboli providemus.

2. Gaudete ergo et exultate in domino, venerabiles filiae, et gratias illi iugiter uberes agite, qui vos de tenebrosa saeculi huius conversatione ad portum quietis et religionis adtrahere et provocare dignatus est. Cogitate iugiter unde existis, et ubi pervenire meruistis. Reliquistis fideliter mundi tenebras, et lucem Christi feliciter videre coepistis: contempsistis libidinis incendium, et ad castitatis refrigerium pervenistis: respuistis gulam, et abstinentiam elegistis: repudiastis avaritiam atque luxuriam, et caritatem vel misericordiam tenuistis. Et quamvis vobis usque ad exitum vitae non deerit pugna, tamen deo donante securi sumus de vestra victoria. Sed rogo vos, venerabiles filiae, ut quantum estis securae de praeteritis, tantum sitis sollicitae de futuris. Omnia enim crimina vel peccata cito ad nos revertuntur, si non cotidie bonis operibus expugnantur. Audite apostolum Petrum dicentem: SOBRII ESTOTE ET VIGILATE, QVIA ADVERSARIVS VESTER DIABOLVS TANQVAM LEO RVGIENS ALIQVID DEVORARE QVAERENS CIRCVIT. Quamdiu

20 *artes*] Aeneid. 7, 337 sq. 23 *diaboli*] Cf. Eph. 6, 16 38 *circuit*] I Petr. 5, 8

3 et vestrae p. n. s. ignarus] *om.* K^6 9 vivorum fontium] TK^6; virorum fortium μ; virorum *ex* vivorum *corr.* K^2 13 audaciae meae] auditui meo K^6 16 tribuatis K^6 18 sentiam $K^2\mu$ 19 et mille] $TK^{2.6}$; et *om.* μ 24 in domino] *codd.*; in Christo μ 36 expurgentur *Germ* 38 aliquid] TK^2; aliquem $K^6\mu$

in hoc corpore vivimus, die noctuque Christo adiutore vel duce contra diabolum repugnemus. Sunt enim aliqui, quod peius est, neglegentes et tepidi, qui de solo christianitatis vocabulo gloriantur, et putant quod illis sufficiat vestem mutasse, et religionis tantum habitum suscepisse, nescientes illud propheticum: FILI, ACCEDENS AD SERVITVTEM DEI STA IN IVSTITIA ET TIMORE, ET PRAEPARA ANIMAM TVAM AD TEMPTATIONEM, nec sententiam psalmistae considerantes: PROPTER VERBA LABIORVM TVORVM EGO CVSTODIVI VIAS DVRAS; et illud quod apostolus dixit: PER MVLTAS TRIBVLATIONES OPORTET NOS INTRARE IN REGNVM CAELORVM. Vestes enim saeculares deponere, et religiosas adsumere, unius horae momento possumus; mores vero bonos iugiter retinere, vel contra male dulces voluptates saeculi huius, quamdiu vivimus, Christo adiutore laborare debemus: quia non qui coeperit, sed QVI PERSEVERAVERIT SALVVS ERIT.

3. In primis ergo omnis anima, quae religionem servare desiderat, gulae concupiscentiam vincere, ebrietatem vitare, tota fidei virtute contendat; et ita temperatum convivium et mensam mediocrem habere studeat, ut caro illius nec nimietate abstinentiae debilitetur, nec per deliciarum abundantiam ad luxuriam provocetur. Deinde abiecta superbia, cui deus resistit, profundae humilitatis iaciat fundamenta; invidiam velut vipereum venenum detestetur ac fugiat; linguam refrenet; detractionem quasi venenum respuat; verba ociosa nec ipsa proferat, nec ab alio prolata auribus suis libenter admittat; vestimentorum habitum nec nimis abiectum, nec notabiliter pomposum aut periculose elegantem habere consuescat; lectionem aut ipsa frequentius legat, aut legentis verba tota pectoris aviditate suscipiat; de divinis scripturarum fontibus iugiter aquam salutis hauriat, illam utique de qua dominus dicit: QVI CREDIT IN ME, FLVMINA DE VENTRE EIVS FLVENT AQVAE VIVAE. De paradisi etiam floribus, hoc est, sanctarum scripturarum sensibus anima sancta se iugiter ornare contendat; ex ipsis pretiosas margaritas auribus suis indesinenter appendat; ex ipsis anulos et dextralia, dum exercet opera bona, conponat: ibi vulnerum medicamenta, ibi castitatis aromata, ibi conpunctionis holocausta requirat. Quae vero religionem inmaculato corde et puro corpore conservare desiderat, aut numquam in publicum, aut certe non nisi pro grandi

---

6 *temptationem*] Eccli. 2, 1 8 *duras*] Ps. 16, 4 9 *caelorum*] Act. 14, 21 13 *erit*] Matth. 10, 22; 24, 13 19 *resistit*] Cf. Iac, 4, 6 et al. 28 *vivae*] Ioh. 7, 38

---

3 christianitatis] conversionis *Germ* 6 et praep.] et *om.* μ 10 unius] huius $K^2\mu$ 13 sq. persev.] usque in finem, hic *inser T* 16 et mensam] in mensam $TK^2\mu$ 16 sq. mediocrem h. s. u. c. illius nec] *excidit in* μ 17 nimietate] medietate $K^2\mu$; inedia K^6 18 ad] *om.* $K^2\mu$ luxuria] μ, m *in fine exp.* K^2 23 notabiliter] *codd.*; $K^2\mu$; nimis μ 30 anulos] TK^2; *om.* K^6 33 quae] *cod. Paris. 13440*;qui $TK^2\mu$ inmacul.] in *praem.* $K^2\mu$ corde et puro corpore] *omn. codd.*; et puro corde μ

et inevitabili necessitate procedat; familiaritates virorum, quantum potest, rarius habeat: ita tamen, ut quotiens necessitas viros videndi aut salutandi exegerit, ipsi videantur, quos aetas et sancta vita commendat; sed ipsi, ut dixi, rarius, et non diuturna sed brevissima cum illis conlocutio habeatur. Iuvenes vero aut numquam aut difficile videantur. In familiaritate vero assidua nec laici umquam nec religiosi suscipiantur: quam rem non solum feminae de viris sed etiam viri de feminis observare contendant, si integram puritatem castitatis custodire desiderant. Nec dicat aliquis: Sufficit mihi conscientia mea. Dicat sibi quisque quod sibi placuerit: misera et satis odibilis deo est excusatio ista, quae magis de inpudentia quam de conscientia bona procedit. Nam quando prima familiaritas aut viro cum femina, aut feminae cum viro esse coeperit, satis verecunda et quasi sancta esse cognoscitur: quia subtrahit in primis diabolus machinamenta sua, donec paulatim assidua familiaritate crescente inter ambos inimicam nutriat amicitiam. Callidus enim hostis facit illos sibi invicem parvo tempore deservire sine ulla titillatione libidinis, sine ullo dispendio castitatis: et ita illos falsa securitate circumvenit, ut eos quasi in blanda tranquillitate velut duas naviculas producat in altum; et dum se putant esse securos, nec ieiuniorum quasi remorum adiutorium petunt, nec vigiliarum gubernaculum quaerunt; cumque eos securos fecerit, in se ipsis elidens subita illos tempestate demergit, et in vulnificos amplexus inpingens, simul ictu uno mortificat. Tamdiu sopitum ignem sine ullis flammis occultat, donec duas faculas iungens simul ambas accendat: sic explicat diabolus, quod praestare antea videbatur, sic quasi de simplici caritate amorem conflat inlicitum. In primis contentus est cedere, sic valet amplius occupare. Ecce securus est quisque de conscientia sua, quod, cum aliquem viderit, scandalizari de ipso non possit. Numquid, quomodo conscientiam suam novit, sic voluntatem alterius videt? Ecce tuus oculus alium simpliciter videt, et forte ille te crudeliter concupiscit. De tua castitate gaudes, et de illius ruina non times? Si enim tu te nimium familiarem praebueris, alterius concupiscentiam nutris: etiam si ipsa non pecces, alium tamen perdes; et erit tibi causa etiam sine causa, ut te libido maculet aliena. Nolite, quaeso vos, nolite quibuscumque aut occasionem dare, aut familiaritatem tribuere: ne forte cuiuscumque concupiscentia in vos male succensa alibi incipiat quaerere, quod in vobis non potuit invenire.

4. Sed forte dicit aliqua: Secura sum de conscientia mea. Absit ut hoc de ore religioso procedat: iam enim cecidit, qui de sua virtute confidit. Libidinem si Christo adiuvante desideras vincere, familiari-

4 diurna μ 10 quod sibi] quod ipsi *T* 12 aut viro] TK^2; viri μ 13 quasi] *codd.*; *om.* μ 22 in se] ipse *T* 23 implexus μ 25 praestare] $TK^{2.6}$; celare μ 26 inlicitum] dum *inser.* *T* 27 sic valet] *mss.*; ut sic valeat μ

tatem debes refugere. Certissime noverit, qui indignam familiaritatem non spreverit, aut se aut alium cito perdet. Sed forte dicit aliquis: Ideo familiaritatem non fugio, quia volo habere quod vincam, et adversarium meum cupio tenere captivum. Vide ne contra te adversarius incipiat rebellare: vide ne te ducat captivitas ista in captivitatem. Audi apostolum dicentem: FVGITE FORNICATIONEM. Contra reliqua vitia oportet nos omni virtute resistere: contra libidinem vero non expedit repugnare, sed fugere. Esto ergo libidinis fugitivus, si vis esse castitatis pugnator egregius. Sed quod dixi diligenter adtendite. Quando solus aliquis stimulis libidinis incitatur, Christo adiuvante pugnet quantum praevalet contra se, quia non habet quo possit fugere se; quando vero per alterius sodalitatem oportunitatem voluptatis diabolus subministrat, ipsam familiaritatem, quantum praevalet, sicut supra dixi, anima sancta refugiat. Ac sic quando aliquis in se ipso temptatur, sibi ipsi deo adiuvante resistat; quando per alterius societatem vel levi concupiscentia titillatur, quasi serpentem venenatum quanta potest celeritate refugiat.

5. Sed ut haec omnia servare possimus, abstinentiam rationabilem teneamus; quia vera est illius sanctissimi viri sententia: PROVT CONTINVERIS VENTREM, ITA ET VENENOSOS MOTVS EIVS. Humilitatem etiam veram quantum possumus conservemus: non enim diu carnis integritas servatur, ubi animus superbiae tumore corrumpitur. Praecipue si et iracundiae flamma frequentius surgit, castitatis et virginitatis flores cito consumit. Casta enim et deo devota anima non solum extraneorum, sed etiam parentum suorum assiduam familiaritatem, aut ad se veniendi, aut ipsa ad eos ambulandi, habere non debet: ne aut quod non oportet audiat, aut quod non expedit dicat, aut quod castitati potest esse contrarium videat. Si enim vasa quae ecclesiae offeruntur, ut in sacrosancto altario ponantur, sancta ab omnibus appellantur, et nefas est ut de ecclesia postmodum ad domum laicam revocentur, aut usibus humanis aptentur; si tantam dignitatem habent vasa, quae nec intellectum possunt habere nec sensum, qualem putas dignitatem apud deum habet anima ad ipsius imaginem procreata? Sicut ergo vasa sancta humanis usibus servitura nec possunt nec debent de ecclesia revocari, sic religiosum quemquam non oportet,

6 *fornicationem*] I Cor. 6,18 19 *illius sanctissimi viri*] Quis ille sit, non inveni

1 noverit] quod *add.* μ 3 et] *mss.*; *om.* μ 5 sq. in captivitatem] captivam *T* 8 repugnare] te pugnare μ 10 solus] *mss.*; *om.* μ 12 se; quando] TK^2; si quando $K^6\mu$ sodalitatem] TK^6; soliditatem K^2; societatem μ 14 sic quando] *coniectura scripsi*; si quando *mss.*; si aliquando μ 15 ipsi] *om.* μ alterius] *mss.*; alicuius μ 16 titillatus fuerit K^6 21 veram] TK^6; nostram $K^2\mu$ 29 ut in] et in μ; aut in ipso K^6 sacro alt. ponuntur μ 32 sensus μ 33 habet anima] TK^6; habent omnia $K^2\mu$ 35 ab ecclesia K^6

non decet, non expedit, parentum suorum multis obligationibus inplicari, aut quorumcumque extraneorum perniciosa familiaritate constringi.

6. Illud ante omnia ammoneo, ut aemulationis malum quasi venenum vipereum fugiatis, et ita inter vos caritatis dulcedinem conservetis, ut vobis invicem per sancta conloquia medicamenta spiritalia praeparetis. Sunt enim, quod peius est, aliquae, quae quando se pariter iungunt, magis sibi detrahendo vel contra praepositas murmurando vulnera faciunt, quam spiritalia medicamenta conponunt. Vos vero, sanctae ac venerabiles filiae, si aliquam videtis pusillanimem, consolationem inpendite; si superbientem, humilitatis medicamentum apponite; si iracundam videritis, refrigerium patientiae ministrate. Si nobiles natae estis, magis de religionis humilitate quam de saeculi dignitate gaudete; et sic terrenam substantiam dispensate, ne, unde spiritales pennas bene et cito tribuendo habere potestis, aliquid vobis servando aut tardius erogando carnales conpedes habeatis. Terrena enim substantia si tardius erogatur, animae pennas quasi visco inligare cognoscitur; quia verum est illud quod scriptum est: INPEDIMENTA MVNDI FECERVNT EOS MISEROS. Si qua vero pauper fuit antequam religionem sanctam adsumeret, deo debet gratias agere, qui illam mundi istius facultatibus noluit inligari. Multos enim, quod peius est, ita suae facultates ligatos tenent, ut ad aeternam patriam redire non possint. Vos vero iam etiam in hoc saeculo Christo propitio felices estis, quae facultates simul et voluptates saeculi istius non solum corde, sed etiam corpore contempsistis. Tenete ergo manus in aratro, et nolite respicere retro. Et quia in tectum iam perfectionis ascendere meruistis, non vos inde deponant saeculi istius voluptates. MEMENTOTE VXORIS LOTH, quae retro respiciens versa est in statuam salis. Numquam iuramentum, numquam maledictum de virginis ore procedat. Non solum corpora, sed etiam corda vestra omni sollicitudine custodite, propter illud quod scriptum est: OMNI CVSTODIA SERVA COR TVVM, et illud quod dominus in evangelio dixit: DE CORDE ENIM EXEVNT COGITATIONES MALAE. Si enim in corde nihil mali cogitatur, quicquid sanctum est ex ore profertur: quia, sicut scriptum est, EX ABVNDANTIA CORDIS OS LOQVITVR. Hoc enim lingua proferre consuevit, quod ex officina cordis conscientia ministraverit: et ideo si ex ore vultis bona proferre, semper in corde quae sancta sunt cogitate.

---

19 *miseros*] Vide not. ad c. 52 Regulae, p. 19, l. 15 sq. supra 28 *Loth*] Luc. 17, 32 31 *tuum*] Prov. 4, 23 33 *malae*] Matth. 15, 19 35 *loquitur*] Matth. 12, 34

---

1 multis] *om.* K^6 10 videritis K^6 15. 17 pinnas *T* 17 enim] *mss.*; namque μ 21 inligari] *T*; -are $K^{2.6}$ μ 23 iam] *om.* K^6 28 versa] mutata K^6 33 mali] male K^2

7. Sic lectioni et orationi debetis incumbere, ut ante omnia etiam manibus possitis aliquid exercere, secundum illud quod apostolus ait: QVI NON OPERATVR, NON MANDVCET; praecipue tamen usque ad horam tertiam lectioni vacare consuescite, et meliorem diei partem sancto operi dedicate. Oratio vestra ita cum silentio procedat ex corde, ut vix audiatur in ore: nam qui alta voce orare voluerit, et sibi et alteri multum nocet, dum per suam garrulitatem alterius mentem ab oratione sancta et secreta suspendit. In ipsis operibus, quae manibus fiunt, saecularia et pomposa indumenta, quae non utilitati sed vanitati serviunt, fastidite atque contempnite, ut etiam in ipsis terrenis operibus possitis quicquid sobrietati et honestati convenit exercere. Multi enim, quod in moribus diligunt, hoc etiam in operibus suis ostendunt. Praeparent sibi ornamenta saecularia saeculum diligentes, et voluptati vel luxuriae servientes: vobis vero, quibus mundus crucifixus est, nihil sit commune cum talibus; sed omnia ornamenta, quibus ad luxuriam caro conponitur, velut inimica et contraria a vestro proposito respuantur. Sunt enim, quod peius est, qui pro vanitate saeculi istius plus student terrenis cupiditatibus operam dare, quam lectioni divinae insistere, dum volunt stragula pulchra, et picta tapetia, plumaria etiam et reliqua his similia cum ingenti sumptu et superflua expensa ad oculorum libidinem praeparare; nescientes illud quod dominus per Iohannem evangelistam clamat et dicit: NOLITE DILIGERE MVNDVM NEQVE EA QVAE IN MVNDO SVNT; QVONIAM OMNE QVOD IN MVNDO EST CONCVPISCENTIA CARNIS ET CONCVPISCENTIA OCVLORVM ET AMBITIO SAECVLI EST. Quid prodest virgini integritatem corporis custodire, si oculorum concupiscentias noluerit evitare?

8. Sunt etiam nonnullae, quae etiam de facultatibus suis maiorem partem parentibus, et forte divitibus, quam pauperibus dare volunt; et non cogitant, quod, dum illis substantiam suam ad luxuriam tribuunt, se aeterna mendicitate consumunt. Sed dicit aliquid: Ergo despicere debeo parentes meos? Absit ut nos dicamus quod parentes tuos non debeas honorare: quomodo potest fieri ut parentes praedicemus non amandos, qui inimicos dicimus diligendos? Ama parentes tuos quantum potes: et si casti sunt et honesti, honorem illis semper inpende, et de facultatibus tuis aliqua illis pro tui memoria munuscula derelinque. Totum vero, quicquid est maius atque utilius, usque in finem saeculi profuturum pauperibus tribe, ut elemosinae tuae usque ad diem

3 *manducet*] II Thess. 3, 10 24 *saeculi est*] I Ioh. 2, 15. 16

1 orationi] *mss.*; meditationi μ 3 nec mand. K^6 8 secreta] *T*; sacra *cet.* 9 fiunt] exercetis *T* pomposa] compta K^6 indumenta] TK^6; adiumenta K^2 μ 10 operibus] *mss.*; *om.* μ 11 sobrietati] serietati *T* 13 Praeparent] *T*; praeparant *cet.* 19 tapicia *T* 35 tua mem. *T*

iudicii per refrigeria pauperum transeant ad regna caelorum. Quod minus dederis parentibus tuis, poterunt sibi ipsi postmodum providere, poterunt laborare; quod tibi minus pro misericordia praeparaveris in illo saeculo, numquam poteris invenire. Attamen si sunt aliqui parentes pauperes, ut victum aut vestitum sufficientem habere non possint, mercedem apud deum habebis, si illis unde possint sustentari tribueris. Venturi enim sumus ante tribunal aeterni iudicis; et si bene egimus, feliciter audiemus: VENITE BENEDICTI, PERCIPITE REGNVM: QVIA ESVRIVI ET SITIVI; et post pauca: QVAMDIV FECISTIS VNI EX MINIMIS ISTIS, sine dubio pauperibus, MIHI FECISTIS. Non dixit: Venite et percipite regnum, quia parentum vestrorum divitias vestris divitiis cumulastis, quia illis unde luxuriarentur in saeculo dimisistis. Non hoc utique dixit, sed illud quod in evangelio commemorat, quod et per prophetam ante praedixerat: DISPERSIT, DEDIT PAVPERIBVS. Adtendite, quaeso: DISPERSIT, inquit, DEDIT PAVPERIBVS. Non dixit, divitibus, non luxuriosis, non hoc saeculum diligentibus. Nam et dives ille, de quo in evangelio legimus quod INDVEBATVR PVRPVRA ET BYSSO, fratres suos divites dereliquit; sed ille postea guttam refrigerii in inferno ardens quaesivit, et invenire non potuit. Vos vero, sanctae et deo dignae animae, totum spiritaliter agite; et cui consecrastis animas vestras, ipsi offerte, immo reddite, substantiam vestram. Dignum est ut a vobis accipiat terrena, qui praeparat aeterna; ipse a vobis accipiat terrenam substantiam, qui vobis contulit virginitatis coronam. Vos autem illi amplius debitrices estis, quibus dedit ut illum, qui est inmaculatus agnus, QVOCVMQVE IERIT sequi possitis. Sequitur quidem Christum cetera fidelium multitudo, non quocumque ierit, sed quo usque potuerint. Paenitentes enim et coniugatae possunt per alias iustitiae vias sequi Christum, praeter cum in virginitatis decore praecedit: non habent quid faciant, ut virgines sint. Vos vero, sanctae filiae, sequimini eum tenendo perseveranter, quod vovistis ardenter.

9. Iterum atque iterum, sanctae et deo dicatae animae, rogo, et cum omni humilitate pro conservando virginitatis praemio consilium dare praesumo, ut familiaritatem incongruam a vobis vel a vestris animis totis viribus repellere laboretis. Longe satis, longe sit pestis ista et lues, quam inordinata familiaritas iaculatur. Non est in hac

9 *sitivi*] Matth. 25, 34. 35 10 *fecistis*] Matth. 25, 40 14 *pauperibus*] Ps. 111, 9 17 *bysso*] Luc. 16, 19 25 *ierit*] Apoc. 14, 4

3 per misericordiam *T* in] TK^6; *om.* $K^2\mu$ 5 sufficientem] *T*; sufficienter *cet.* 7 tribuis μ 9 sitivi] et cetera *add.* TK^6 15 sq. non dixit *usq.* diligentibus] TK^6; *om.* $K^2\mu$ 17 quod] qui K^6 22 praeparat] vobis parat *T* 23 contulit] *T deficit usque* ignominiam *p. 45, l. 8* 24 quibus] qui K^6 28 praeter] $K^{2.6}$; *om.* μ decorem $K^2\mu$ 29 ut v. sint] μ; aut v. sunt K^6, *corr. ut in textu* K^2 29 sq. tenentes perseverando K^6 32 pro conservando v. praemio] K^6; ad (*ex* pro *2 m. corr.* K^2) conservanda v. praemia $K^2\mu$

societate securitas, quae conlisionem patitur velut a quibusdam fluctibus turbulentis. In hac familiaritate non habitat amica concordia, quae non nisi discordantes inimicitias creat: nam ad conservandam sanctae religionis dignitatem singularitas magis quam inordinata familiaritas testis sanctissima est. Adtende, o anima sancta, et diligenter intellege, quanta mala de inordinata societate nascantur. Familiaritas enim cuiuslibet, si frequens esse coeperit, non nisi corruptionem seminat, vitia pullulat, cupidinem concupiscit, ignominiam parit, rabiem concitat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas aedificat, ripas erigit, praecipitia aperit, periculis navigat, naufragiis velificat, perditioni gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat obproprium, criminationes exaggerat, excusationes inflammat, et catervatim simul in fascem glomerat numerosas indagines captionum, ac per infinita dedecora multiplices mortes invenit in perniciem perditorum. Tot itaque et tanta mala perniciosae familiaritatis nemo prosternit, nisi qui societatem, unde periclitari possit, aut difficile, aut certe rarius habere contenderit. Nam si anima sancta secretum suum custodire voluerit, et assiduae familiaritatis malum tota animi virtute refugerit, ipsa sancta singularitas munimen illi invictum est sanctimoniae, expugnatio fortis infamiae, fortitudinis firmitas et lasciviae petulantis infirmitas, probitatis praesidium et inprobitatis excidium, animae victoria et corporis praeda, libertas gloriarum et captivitas criminum, pronuba sanctitatis et repudium turpitudinis, sinceritatis indicium et abolitio scandalorum, exercitium continentiae et evacuatio tota luxuriae, pax secura virtutum et expugnatio inquieta bellorum, puritatis culmen et libidinis carcer, honestatis portus et ignominiae naufragabilis locus, virginitatis mater et hostis inmunditiae, lorica pudoris et spolium probrositatis, murus incorruptionis, discretio vulgaritatis, integritatis dignitas et fornicationis abdictio, caritatis fastigium et dedecoris praecipitium, voluntas bonorum operum et afflictio vitiorum, refrigerium pudicitiae et poena petulantiae, adquisitio triumphorum et facinorum detrimenta, requies salutis et perditionis exilium, vita spiritus et carnis interitus, status qualitatis angelicae et funus humanae substantiae.

7—34 *corruptionem seminat* etc] Haec ex Pseudo-Cypriano, De singular. cleric. c. 38 sq. haud sine mendis Noster exscripsit.

8 parit] *abhinc rursus cod. T, sed usq.* fornicationis *tantum l. 30* 10 ripas] rixas *male* K^6 praecip. aperit] *om. T* 11 naufragium TK^6 perditionis ludet *T, pro* perditioni studet *?* 12 mercatur] *T*; meretur *cet.* 13 glomeratur. $TK^{2.6}$ 15 invenit] K^6; inveniet $K^2\mu$; insinuet *T* itaque] *om.* μ tanta] sunt *inser.* μ *mendose* 16 prosternit] *T*; prosternitur $K^2\mu$; effugiet K^6 17 contenderit] $TK^{2.6}$; contempserit μ 25 continentiae] *mss.*; conscientiae μ 27 locus] TK^6; portus $K^2\mu$ 28 spolia $K^2\mu$ 29 sq. integritatis] temeritatis K^6, *et om.* dignitas 30 fornicat.] *ab his omnino deficit T* abdictio] $K^{2.6}$, *corr.* abdicatio $K^6\mu$; addictio *Ps.-Cypr.* 34 funus] *corr.* finis K^6

10. Haec omnia mala fortiter deo adiuvante vitantur, et illa quae diximus bona feliciter adquiruntur, si ab animabus sanctis familiaritas inordinata respuitur. Adtendite, quaeso vos, animae sanctae, quia inter omnia certamina, quibus semper comes est christiana militia, sola duriora sunt praelia castitatis, ubi cottidiana pugna est et rara victoria. Gravem castitas sortita est inimicum, qui cotidie vincitur et timetur; cotidie, inquam, vincitur, et non desinit provocare. Nemo securus vincit, qui secum pugnat. Periculosa navigatio est, ubi saepe naufragatur; et cum periculo transitur in fluctibus, ubi multi mersi sunt, libidinis. Cupiditas enim cum vincitur, non finitur. Castitatis dura sunt praelia, sed maiora sunt praemia. Flamma, quae nimium flagrat, cito venit ad cineres; incendium vero corporis, cum illi adquiescitur, accenditur potius quam finitur. Castitatis palmam nemo securus accipit; cui quantum duri sunt exitus, tantum gloriosi sunt fructus. Praemiale sibi periculum indicit, qui bellum suscipit cum natura. Hostis publicus parcit in noctibus, latronis insidiae solis crassantur in tenebris: libidinis vero cupiditas et in noctibus provocat, et in die non parcit; nec regum purpuras metuit, nec pannos pauperum perhorrescit. Ut ergo castitatis praemia et virginitatis coronam feliciter deo remunerante possitis accipere, periculosam familiaritatem a vobis semper excludite. Currite fideliter, ut possitis feliciter pervenire. Et mei memores estote, cum in vobis coronata fuerit inmaculata virginitas. Haec epistola ante tribunal Christi me excusabilem reddet, quia cum vera caritate et perfecta humilitate, quod mihi oportebat dicere, et vobis audire, suggessi. Si quis, quod deus non patiatur, oboedire neglexerit, erit illi in testimonium; qui vero libenter acceperit, convertetur in gaudium, non temporarium, sed aeternum. Vigeatis in Christo, sanctae ac venerabiles feminae.

III.

Superioribus epistolis in plerisque editionibus adiungitur tertia, quae incipit: *O profundum:* Holst. I, 490–492; MBP. XXVII, 350–352; Migne 67, 1135–1138. Quam tamen Caesarii esse nullis mihi certis constat argumentis: in neutro enim ex codicibus K^2 et K^6 sancti episcopi nomine inscripta est, et inter collectanea quae in his ibi habentur, nonnulla facile discernas, quae minime a Caesario profecta sunt. Praeterea nihil fere in epistola ex iis locutionibus reperias, quibus caesarianum dicendi genus

---

1 vitantur] *littera una post* vi *deleta* K^6; *om.* $K^2\mu$ 2 adquiruntur] K^6; adquirantur K^2; acquirentur μ 9 multi] *s. l. suppl.* K^2; *om.* K^6 mersus K^6 14 cui] *pro* cuius? duri sunt] $K^{2.6}$; durus μ 15 praemiale] *male corr.* penale K^6 16 parcit] *coni*; pascit $K^2\mu$; *locus in* K^6 *pessime habitus est* 16 sq. crassantur] *mss.*; grass. μ 27 temporarium] *cod. Wirceburg. Mp. th. o. 1, saec. VIII/IX*; temporale $K^{2.6}\mu$.

prima facie alibi cognoscitur. Quid, quod statim principio auctor, quisquis demum ille est, nonnulla de se ipso declarat, quae vix ac ne vix quidem in Caesarium quadrare apte videntur, ut puta, quod a iuventute „per abrupta voluptatum lasciviamque" vagatus sit, et cetera quae de illius „multa familia" narrantur? Quod igitur opusculum huic συλλογῇ inserui, consuetudini morem gessi, et ne non nullius ceterum momenti documentum periret, providere volui, praesertim cum textus ab Holstenio et eius sequacibus emissus magnis passim emendationibus indigeret. Denique quartam epistolam *Audi me, dulcissima soror et filia* (apud Holst. I, 365) (= *Or*) nihil aliud esse, quam mendosissimum centonem ex frustulis tertiae huius epistolae consarcinatum, vix opus est ut dicam. Ex quo fonte illum hauserit Holstenius, ignoro: quod autem a viro cl. *ex epistola s. Caesarii ad Oratoriam abbatissam* inscriptus est, huiusmodi Oratoriam numquam fuisse, nomenque nusquam alibi, quod scio, testatum, ex verbis *epistola hortatoria* (*ortatoria* K^2) perperam intellectis ductum esse, omnino persuasum habeo.

EPISTOLA HORTATORIA AD VIRGINEM DEO DICATAM.

O PROFVNDVM DIVITIARVM SAPIENTIAE ET SCIENTIAE DEI! et QVIS COGNOVIT SENSVM DOMINI? Quis enim existimare potest, in diebus adolescentiae tuae, o venerabilis mihi integritate quidem et meritis domina, sed ordine ac gradibus in Christo filia, cum in coenobio sanctarum virginum inserta choro, spiritali studio et divinarum scripturarum eruditionibus attenta, me tunc quasi partem animae tuae diligeres, hominem iuvenem, et non magnae indolis virum, qui per abrupta voluptatum lasciviamque vagabar, ac per aerumnosos anfractus, propter laetitiam scilicet temporalis felicitatis, in clandestino hiatu festinabam inmergi, cuius in multa praeterea familia nomen tantum auditu noveras, vultum penitus ignorabas, quod ad hoc nos officium dispensatio omnipotentis dei praedestinatos haberet, scilicet ut nobis familiam suam traderet gubernandam, isto dumtaxat ordine, ut tu in officina huius ecclesiae, secundum divini praecepti oraculum, SI, inquit, SEPARAVERIS PRETIOSVM A VILI, QVASI OS MEVM ERIS, velut sollertissi-

3 *domini?*] Rom. 11, 33. 34 16 *eris*] Hier. 15, 19

inscriptio ex K^6, (ortatoria K^2): *inde* Oratoria abbatissa *apud Holstenium I, 365?* 6 inserta] K^6; conserta K^2; conferta μ: p. 48, l. 2 contra *pro* intra *scriptum* 7 attenta] *coniectura scripsi*; atque ita $K^{2.6}$; intenta μ 9 vagabar] *item conieci*; vacabat K^6; vagabatur (ur *compendio s. l.* K^2) μ per aerumnosos anfractus] K^6; peraerumnosis anfractibus $K^2\mu$ 11 hiatu] *scripsi*; iatu K^6; iactu $K^2\mu$ festinabam] $K^{2.6}$; festinabat μ in multa] $K^{2.6}$; *om.* μ familia] K^6 *unus*; *om.* $K^2\mu$ 12 auditu] μ; auditum $K^{2.6}$ noveras] *scripsi*; noverat $K^{2.6}\mu$ vultum] K^6; vultu $K^2\mu$ ignorabas] *ex* ignorabat *emendavi* 15 ecclesiae] ministrares *absque codicum auctoritate interser.* μ 17 sq. solertissima μ *contra mss.*

mus trapezita inter eos, qui aeterni regis in se inpressam imaginem custodiunt, et eos qui denarium eius intra conscientiae conclave adulterina sorde commaculant, sagaci discretaque divisione secernas: quippe quae non rudis vel neophyta haec sacra didicisti ministeria, sed ab ipsis paene cunabulis per annos infantiae atque adolescentiae ad iuventutem usque studiis regularibus exercuisti vitam, in quibus et vivendi didicisti normam, et doctrinae copiam affatim es consecuta. Ego vero, qui huius scientiae praerogativam praepediente segnitia adsecutus non sum, et ab abstinentia quam in te intulit divina dignatio procul distare me video, et terrenis necessitatibus inplicari. Unde garrulus potius a sapientibus quam recte aliquid loquens iure reprehendor, sicut etiam ipsius dictionis designat impolita materies. Sed licet stolidus et terreni operis luto foedatus, priscum tamen amorem recordans, dici nec credi potest, postquam hoc quod nunc habes officium sortita fuisti, qualem de te habeam sollicitudinem vel timorem. Unde quantam devotionem habui, ut illud secundum deum ordinate susciperes, et absque macula baiulares, tanto acrius timeo, ne forsitan aut divinus in te intuitus, aut humana reprehendat opinio, quod iustae pateat reprehensioni; ne inveniatur in te, ut, qui reprehendere volunt, digne lacerare videantur, aut qui imitari adpetierint, delinquant: quod ita augustius poteris evitare, si supernum semper iudicium ante cordis oculos ponas.

2. Audi ergo me, dulcissima o virgo Christi, soror ac filia: tu quantumcumque semper in studiis spiritalibus occupari desideras, propter sororum tamen necessaria aliquando etiam exteriora tibi erunt negotia dirimenda. Curandum ergo tibi summopere est, ut sic temporalia quasi pro tempore agas, ac semper tenacius in spiritalibus devotione et amore inhaereas; ut cum temporalia citius dispensaveris, ad orationem ilico vel lectionem quasi ad matris sinum recurras. Optare

---

1 sq. inpressam] K^6, *s. l. add.* imaginem; inpressa $K^2\mu$, *om.* imaginem 2 et eos] ut eos μ qui] K^6; quoniam (qnm) $K^2\mu$ denarium] $K^2\mu$; divitias K^6 intra conscientiae] K^6; contra conscientiam $K^2\mu$ conclave] K^2; conclavem K^6; cum clave μ 4 neoffita $K^{2.6}$ haec] hoc K^2 didicisti] K^6; dicata $K^2\mu$ 6 ad iuventutem] *coni*; a iuventute $K^{2.6}\mu$ usque] huc s. *l. post. praem.* K^6 in studiis K^6 7 et viv.] et, *expuncto* ac K^2; hanc K^6; *om.* μ affatim] affectus K^6 8 assecuta K^6 huius] $K^{2.6}$; *om.* μ 9 ab] *s. l. 1 m. suppl.* K^2; *om.* K^6 abstinentia] e *in fine exp.* K^2; abstinentiam K^6 10 et terr.] μ; ne terr. K^6; et *om.* K^2 11 inplicari] *ex* inplicare *corr.* K^2; implicarer K^6 14 priscum . . . amorem] *scripsi*; prisco . . . amore *mss.*, *in* prisci . . . amoris *corr.* $K^2\mu$ dici nec credi] K^6; diu nec credi K^2; credi non μ 18 timeo] $K^{2.6}$; time μ divinum . . . intuitum K^2 19 iustae] *coni*; iuxtate *mss.* μ reprehensioni] ni *ex* em *corr.* K^2; reprehensio K^6 ne] K^6; nec $K^2\mu$ 23 Audi] *abhinc incip. fragm. Or.* o dulciss. μ *contra mss.* o virgo Christi] *om. Or.* 23 sq. inquantumcumque K^2, in *post. exp.* K^6 25 sororum] K^6; sororem $K^2\mu$; sorores *Or* necessariam K^2; om. *Or* 26 derimenda K^2 temporalia] spiritalia *absurde* μ

quippe debes, ut abiecta sollicitudine mundi semper cogites de servitio Christi, propter illud: NEMO MILITANS, inquit, DEO IMPLICAT SE NEGOTIIS SAECVLARIBVS. Cogita sine intermissione, quia huius ecclesiae es instituta lucerna, non occultanda sub modio, sed supra candelabrum posita, ut omnibus, qui hanc domum habitant, lumen bonorum operum exemplis inpertias, propter illud: IN OMNIBVS, inquit, TEMETIPSVM PRAEBE EXEMPLVM BONORVM OPERVM; vitaque tua velut pennatum animal ad alta semper per desiderium evolet, per verbum resonet, luceat per exemplum.

3. Cum vero ad adnuntiandum verbum dei te sororibus affectaveris, seu propter utilitatem animarum tenoremque regulae custodiendum necessitas incubuerit altercandi, prius cauta consideratione perpensa, ut, quod ore promis, factis impleas; ut, quod aliis praedicas, operibus praebeas; scilicet ut in tuis humeris atque cervicibus prius sentias, utrum gravia an levia onera collo sororum onustes: verbi gratia, si ieiunium super cottidianum, vel abstinentiam extra consuetudinariam, necnon, ut adsolet, plus solito in synaxi psalmos placuerit decantare. Prima in ecclesia inveniaris, postrema exeas; prima suscipias laborem, solvas posterior; et in cottidiano corporis alimento par sis in communi cibo, cum quibus pari uteris in mensa consessu: ut, quae ad unam sedetis mensam, unum vos parque reficiat alimentum; isdemque et tu, quibus et sorores, ferculorum saporibus delectare, et aequalia vobis cibaria potionesque exhibeant vel porrigant communes discoferae vel pincernae; primatumque tuum, quem prior ad mensam tenes, prima ad virtutem parsimoniae vindices; ut abstinentiam, quam linguam praedicat, proximae fauces vel vicinus stomachus sentiat, ne forsitan subditae audientes tacitis cogitationibus dicant: O quam pulchre nobis abstinentiam praedicat plenus venter, et contentas nos iubet esse vilissimis cibis ac poculis, accuratis cibis poculisque delicatioribus refertum guttur eructans! Illa enim de abstinentia praedicatio acceptabilis est, quam lurida ieiuniis ora decantant. Et in

3 *saecularibus*] II Tim. 2, 4 7 *operum*] Tit. 2, 7 24 *discoferae*] hoc vocabulum in Thes. ling. lat. incassum quaesivi

3—6 cogita *usq.* propter illud] *desideratur in Or* 4 es] sis K^6 occupanda K^6, *corr. ut in textu* $K^2\mu$ 12 cauta] *in* tota *mut.* K^6 perpensa] $K^{2.6}$; pensa μ *Or* 15 gravia an levia onera collo] $K^{2.6}$ (cf. Georges II 1199); *in* gravibus an levibus oneribus colla *mut.* μ *Or* honustes K^6; onustas K^2 17 in sinaxim $K^{2.6}$ 18 prima] K^6; prius K^2; prior μ *Or* labores μ 19 par sis in] $K^{2.6}$; atque μ *Or* 20 cibo] par sis *huc traic.* μ *Or, et add.* his consensu $K^{2.6}$ 21 sq. hisdemque K^2; his denique K^6; iisdem denique *Or*; iisdem *tantum* μ 22 et tu] *om. Or* 25 ad virtutis (is *ex* es *corr.* K^2) parsimoniam *mss.* parcimoniae μ 26 proxime $K^{2.6}$ vicinum stomachum K^6, *corr. ut in textu* K^2 27 sentiat] *ex* sentias *corr.* K^6 30 delicatioribus] K^6; delectabilibus $K^2\mu$; *om. Or* refertur K^6, *corr.* refertus, *post.* refertum K^2 eructans] *praem.* et μ *Or*

his omnibus ceterisque hoc tibi noveris convenire, ut angusti callis itinera, per quae socias admones gradiendas, prior ipsa gradiaris; ut omnia, quae agenda sunt, ante factis impleas; ut postmodum velut ductilis tuba ex percussione producta rectius erumpas in vocem, propter illud dominicum: QVI, inquit, SCANDALIZAVERIT VNVM DE PVSILLIS ISTIS QVI IN ME CREDVNT, et reliqua.

4. Inter cetera cum magna tibi cautela custodiendum est, ut omnes in monasterio, quarum omnium gubernacula aequaliter tuis imposuisti cervicibus, aequaliter diligas; neve unam plus, minus aliam ames: sed cuncta quae vestra sunt, in quibus possibilitas extat, aequo moderamine disponas, pari eis moderatione dispenses; parem eis caritatem inpertias, et cunctis non per privatum amorem, sed per meritum singulis quae sunt necessaria largiaris. Non quae tibi vultuique tuo placuerit, non quam tibi ad oculum cognoveris, vel cuius blandiori fueris obsequio delinita; sed quam amor Christi et religiosior demonstraverit vita, praeponas. Si quam dominus substantiolam largiri dignatus in monasterio fuerit, cum summa aequitatis linea, aequa omnibus lance, prout cuique opus fuerit, dispensetur: servata tamen senioribus veneratione, his dumtaxat quae ecclesiae columnae esse meruerunt. Non sis vestibus ornatior ceteris, sed moribus: in his te comptiorem ceteris exhibe, non quae malitia hominum, sed in his quae diabolus invidere potest, ut pro ornatu vestium sis ornata conversatione ac moribus. Et haec omnia lectio divina condiat. Oportet enim te, ut vereor, propter quasdam cultrum nonnumquam habere in gutture, cauterium in lingua gestare, virgam tibi et baculum in manu ferre: ut per cultrum deseces vitia, per cauterium vero ad sanitatem secta reducas, per virgae disciplinam corrigas, per baculum vero disciplinatas sustentes. Si cui vero pro suis debitis paenitentiam inposueris, observandum, ut cum eam sub fasce a te inposito inclinari

6 *credunt*] Matth. 18, 6

2 gradiendas] $K^{2.6}$; gradiendum μ *Or* 4 producta] K^6; perducta $K^2\mu$ *Or* in vocem] K^6 *Or*; in voce $K^2\mu$ 5 dominicum] mandatum *add.* K^6 qui] quicumque *Or*; quisquis, *om.* inquit K^6 8 quarum omnium] K^6; quarum, *om.* omnium μ *Or*; coram omnibus K^2 10 vestra] *ex uno* K^6 11 pari eis] *conieci*; paries, *corr.* pari eas K^2; pari ea K^6; parique μ *Or* parem] ac *praem.* μ *Or* 12 cunctis] $K^{2.6}$; *om.* μ *Or* non] quibuslibet *inters.* μ *Or* sed] cunctis *huc tr.* μ *Or* 12 sq. per meritum singulis] $K^{2.6}$, *an leg.* pro merito *?*; secundum merita singularum μ *Or* 13 sq. vultuique tuo] $K^{2.6}$; vultu intuituque μ, *ad sensum quidem adcommodate, sed absque auctoritate codicum* 16—23 si quam *usq.* condiat] *om. Or* 16 substantiolam] contextu *inters.* $K^2\mu$, *quo monstro quid significetur ignoro* 18 unicuique K^6 19 qui K^6 20 sq. sed moribus i. h. t. c. ceteris] K^6 *unus servavit, in cet. excidit propter homoeotel.* 21 comptiorem] *coni.*; compositiorem *compendio, ut videtur,* K^6 malitiae K^2 24 ut vereor] $K^2\mu$; ut reor K^6; *om. Or* 25 in lingua] in *om.* K^2 28 sqq. Si cui vero *usq.* repensetur] *om. Or* 29 observandum] est *add.* K^6

incurvarique conspexeris, imiteris formicae sollertiam, secundum praeceptum sapientissimi Salomonis, ut humerum tuum oneri eius spiritali subponas, ut medio eius itinere obviam oneratam subleves vel sustentes; et sic singulas de singulis quibusque neglegentiis aut culpis specialibus ammoneas et instruas, ut de earum salute a Christo domino tibi aeterna gloria repensetur.

5. Si quando vero cum saecularibus ad conloquendum fueris evocata, et ire necesse fuerit, prius arma frontem trophaeo crucis, vexillo Christi pectus ingemina, ut cum sua virguncula Christus comitari dignetur: semper tamen pudore virginali cooperta, memor beatae Mariae, quae cum angelo paucissimis conlocuta verbis, cum Helisabeth postmodum in carmen et laudes dei cantando prosilivit. Cumque post haec ad eos veneris cum tanta honestatis constantia, ne ipsa vel locutionem praeponas: ut, qui te viderint, Christo domino gratias agant, qui talem familiae suae providere dignatus est matrem. Ipsa vero processio tua exterior rationabilis non minus debet esse quam rara. Confabulatio vero tua cum eis semper sit mixta cum gravitate atque dulcedine, illa scilicet, quae de sancto ac puro amore procedit; cohercenda semper sit et verecundiae intermiscenda, sicut Christi virginem decet: id est, ut ne usquequaque tacens aut superbiae aut stultitiae notam incurras, sed tantum loquaris, quantum oportunitas flagitat rei ac temporis; ut abscedens, quisquis ille fuerit, desideret te quam se, vel loquelam tuam audire, quam ornat morum gravitas, affectus dulcedinis, et parvitas locutionis. Si quid vero ab eis petitum fuerit, quod praestare deliberes, cum vultu hilari praesta; si quid vero praestari non convenit, petitionem eorum honestate saltim sermonis mellifica. Nomen tuum plures noverint; beneficia tua, in quantum praevales, plures sentiant: vultum rari cognoscant. Si quando autem tibi pro necessitate monasterii seorsum cum provisore fuerit conloquendum, aut certe cum duabus vel tribus electis sororibus facito, aut si nego-

2 *Salomonis*] Cf. Prov. 6, 6 29 *cum provisore*] De provisore monasterii etiam in Regulae c. 23 et 36 agitur, supra 10, 3; 14, 8 sqq.

1 formicis K^2 3 itineri K^6 honeratam K^6; oneratas $K^2\mu$ 4 de singulis] $K^{2.6}$; *deest in* μ 6 repensetur] *scribere non dubitavi*; repraesentetur $K^{2.6}\mu$ 9 ingemina virguncula, ut Christus commitare d. K^6 *misere corruptus* 13 tanta] K^6; tante K^2 ne] K^6, *mut. in* nec $K^2\mu$ 16 processio] $K^2\mu$; sessio K^6 17 sit] *om.* K^6 cum grav.] $K^{2.6}$; cum *om.* μ *Or* 20 id est] K^6; idem K^2; item μ 21 notam] μ *recta equidem coniectura*; nodum $K^{2.6}$ 22 te quam] $K^2\mu$; te tamquam K^6, *locus aperte mendosus* 24 parvitas] *mss.*; *in* paucitas *mut.* μ ab eis] *om.* K^6 25 praesta] prestare K^2 26 sq. mellifica] $K^{2.6}$, *quod servandum duxi*; mollifica *corr.* μ *Or* 27 plures] quam plures K^6 29 seorsum] K^2; seorsim μ *Or*; *om.* K^6 30 aut certe c. d. v. tribus] $K^{2.6}$; cum duabus vel certe cum tribus *mut.* μ *Or* duobus $K^{2.6}$ 30 sq. aut si negotium secretius] *ita* μ, *coniectura credo*; ut simulatum secretior K^2; aut simultum discretior K^6: *locus, ut videtur, insanabilis*

tium secretius supervenerit, aliis saltim videntibus loco patulo conloquaris: quia opinio bonae famae, sicut etiam perfectae vitae custodia tibi necessaria est; et tunc primum despicienda humana detractio, cum Christus in causa est. Si quando vero tale aliquid acciderit faciendum, ut ambiguitate constricta, quacumque parte divertas, quasi syllogismo innexa incertim incedas, si feceris, tunc demum ad minus te converte periculum, quo facilius ad bonum gubernando retorqueas. Et non solum de dubiis, sed et omnis tua actio semper sit propter deum, sermo de deo, cogitatio in deum; et exceptis vitiis, quibus non compassio sed rectitudo debetur, omnibus te cupio esse compassibilem, omnibus gratam, omnibus piam, omnibus affectuosam, cunctis bonis animatam; quemadmodum Paulus Christi virginem decoravit, ut sis SANCTA CORPORE ET SPIRITV: ipso sponso et domino tuo mentem tuam regente, et cunctas vias tuas disponente, qui in trinitate perfecta vivit et regnat deus in saecula saeculorum. Amen.

13 *spiritu*] I Cor. 7, 34

3 distractio K^2 6 incertim] K^6, *2 m. corr.* incertum K^2; in incertum μ ad minorem K^2 7 quo facilius] *coni*; quod f. μ; quae f. $K^{2.6}$ ad bonum gubernando] μ; ad bonam gubernandam K^2; ad bonum gubernaculum K^6

I. INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRAE

aliorumque fontium praeter ea, quae ex EA, OM, RA deprompta sunt.

Gen.:
19, 17 . . . . 34, 22
Exod.:
15, 1 . . . . . 24, 23
Hiob.:
40, 11 . . . . 35, 24
40, 12 . . . . 36, 4
40, 16 . . . . 35, 17
Psalm.:
16, 4 . . . . . 39, 7
46, 8 . . . . . 22, 24
50, 3 . . . . . 24, 7
56, 2 . . . . . 24, 11
70, 14 . . . . 28, 8
111, 9 . . . . 44, 14
117, 1 . . . . 24, 18
Prov.:
4, 23 . . . . . 42, 31
6, 6. . . . . 51, 2
10, 19. . . . . 8, 29
17, 14. . . . . 36, 24
22, 28 . . . . 32, 18
23, 14 . . . . 11, 3
Cant.:
3, 4. . . . . 5, 12
Eccli.:
2, 1 . . . . . 39, 5
10, 15 . . . . 35, 4
19, 1 . . . . . 21, 14
28, 10 . . . . 12, 30
30, 1 . . . . . 11, 2
Esai.:
32, 11. 12 . . . 35, 32
Hierem.:
15, 19 . . . . 47, 15
Matth.:
3, 10 . . . . . 34, 18
5, 19 . . . . . 21, 11
7, 12 . . . . . 34, 20
10, 22 . 18, 18; 39, 13
Matth.:
12, 34 . . . . 42, 34
15, 19 . . . . 42, 32
16, 24 . . . . 19, 12
18, 6 . . . . . 50, 5
19, 12 . . . . 34, 16
19, 21 . . . . 6, 18
24, 13 . 18, 18; 39, 13
25, 34. 35 . . . 44, 8
25, 40 . . . . 44, 9
Luc.:
3, 11 . . . . . 16, 13
10, 16 . . . . 21, 13
14, 26. 27. 33 6, 19 sq.
14, 33 . . . . 19, 11
16, 19 . . . . 44, 17
17, 32 . . . . 42, 27
21, 36 . . . . 9, 19
Ioh.:
7, 38 . . . . . 39, 27
Act.:
4, 32 . . . . . 9, 4. 5
4, 35 . . . . . 9, 6
14, 21 . . . . 39, 8
Rom.:
11, 33. 34 . . . 47, 3
12, 1 . . . . . 34, 12
I Cor.:
3, 8 . . . . . 21, 4
6, 18 . . . . . 41, 6
7, 32 . . . . . 19, 17
7, 34 . . . . . 52, 13
9, 24 . . . . . 18, 18
II Cor.:
11, 2 . . . . . 29, 14
Gal.:
6, 14 . . . . . 19, 18
Eph.:
4, 31 . . . . . 7, 23
6, 16 . . . . . 38, 23
Phil.:
1, 23 . . . . . 34, 29
2, 14 . . . . . 8, 17
3, 8 . . . . . 19, 19
I Thess.:
5, 17 . . . . . 9, 19
II Thess.:
3, 10 . . . . . 43, 3
3, 12 . . . . . 8, 28
I Tim.:
2, 8 . . . . . 13, 2
5, 20 . . . . . 11, 5
II Tim.:
2, 4 . . 20, 16; 49, 2
2, 24 . . . . . 12, 29
Tit.:
2, 7 . . . . . 49, 6
Iac.:
1, 20 . . . . . 36, 11
1, 26 . . . . . 36, 22
2, 10 . . . . . 21, 18
3, 2 . . . . . 36, 26
3, 8 . . . . . 36, 21
4, 6 . . . . . 39, 19
I Petr.:
5, 8 . . . . . 38, 37
I Joh.:
2, 15. 16 . . . 43, 22
3, 15 . . . . . 13, 2
Apoc.:
14, 4 . . . . . 44, 25
Cyprian. De zelo et livore 36, 19
Vergil. Aeneid.
7, 337 sq. . . . 38, 19
Ps.-Cyprian. De singular. cleric. c. 38 sq. 45, 7—34
? 9, 15; 42, 18
? 41, 19

II. INDEX VERBORVM ET LOCVTIONVM

absque = *excepto* 16, 25
acupictura 16, 27; 17, 6
affectare *se* 49, 10
agitare 34, 29
alleluia, ae 24, 19
alleluiaticus 22, 27; 23, 9
altarium 41, 29
anterior hebdomada quadragesimae 23, [25
bebrinus 19, 27
benedictio = *Dan. 3, 57sqq.* 24, 23. 24
bombycinus 16, 30

camara 17, 2
canavaria 12, 4
canonicus 21, 8; = *regularis* 24, 15; 25, [12
capsum 32, 5
causa: sine causa = *frustra* 13, 17
cellararia 15, 21. 24
cerata vela 17, 1
compassibilis 52, 10
conversatio 15, 2; 20, 2. 26

damnare ostium (*gallice „condamner" une porte*) 26, 21
de = *ex*, egredi de 6, 4; 18, 27; 22, 5
de super evangelium 12, 24
deminutiva:
ammonitiuncula 38, 7
arcella 11, 25
armariolum 7, 18
caldellus 25, 30 sqq.
capitellum 22, 33; 23, 9. 32; 24, 2. 27
cellariolum 12, 21
facultaticula 6, 15
infantula parvula 7, 11
munusculum 43, 35
presuriolum 11, 25
substantiola 11, 8; 50, 16
virguncula 51, 9
deponere *in notitiam alicui* 25, 23
directaneus 22, 33; 24, 18. 22. 29
disciplinatus 50, 28
discofera 49, 24
discretio 13, 30
districtio 12, 1; 13, 5; 16, 8; 17, 14
dulciamen 25, 29
duodecima 23, 2. 5. 7; 24, 2

efficax = *aptus, idoneus* 20, 20
emendare *vi intrans.:* 7, 32
encaustum 19, 30
eulogia panis 10, 25
exhibere *sensu iurid.* 29, 37
extra = *praeter* 17, 8

facitergium 17, 7
formaria 14, 4; 15, 10. 16

holosericus 16, 29

inaequalitas = *incommoda valitudo* 15, 12
incertim 52, 6
indisciplinatus 11, 1
intercessus 26, 15
interversor 12, 27

lactinus: lactina indumenta 16, 19. 22. 31; 19, 28
laius: laia indumenta 16, 18. 22; 19, 28
lampada 34, 26
lanipendia, ae 11, 12; 16, 20
lanipendium 11, 31; 12, 24
lectarium 16, 23
lucernarium 22, 33
Lyrinensis 22, 26

magnus: quos magna vita commendat 14, 22; magnae conversationis 15, 2
maleblandus 38, 20
maledulcis 39, 11
malivolus 10, 8
mappula 17, 7
marcor 8, 10
matutinalis 24, 15
matutinarius 24, 19
medius: deo medio 20, 12 (*cf. appar. crit. ad 6, 22*)
mellificare 51, 26
merus, i 8, 5
missa = *lectio* 23, 14. 16. 28. 29. 30. 31; 24, 13. 17. 32sqq.; 25, 1. 3sqq.
missa = *sacrum* 14, 10
monasterialis rigor 12, 18; res monasteriales 12, 27
murmurium 11, 19

neophyta 48, 4

obiectus, us 13, 4
opus dei 7, 30; 8, 11
ornatura 16, 28; 20, 15

palpare 12, 10; 22, 18
papa urbis Romae 22, 3
parentela 20, 20; 21, 31
parsimonia 49, 25
permissum, i 19, 24; 20, 8; 22, 2
plumarium 16, 27; 20, 15; 43, 19
plumata ornamenta 16, 29
polymitum 16, 27; 20, 15
ponere: *in notitiam alicui* 10, 7
posse: *fut. plur.* poterint 6, 22
possibilitas 18, 5; 20, 13; 23, 20; 50, 10
posticiaria 10, 26. 28; 12, 4; 16, 5. 7
posticium 11, 31; 12, 23; 16, 2
praemialis 46, 15
praestolare 5, 14
primiceria 14, 4; 15, 16
privatus, *opp.* festus 24, 16; privatus amor 50, 12
provisor monasterii 10, 3; 14, 8. 13. 14; 15, 1. 30; 51, 29

radicitus 35, 2
recapitulatio 18, 1. 11. 23; 22, 5. 11
recentes *subst. femin. plur.* 25, 29
refundere = *reddere* 16, 15
regestoraria 11, 25
relegere = *legere* 25, 9; 38, 15
repausatio 15, 23
repensare 51, 6
requirere = *invisere* 15, 4
responsus 24, 12
retractare tecta 14, 10
revocare = *invitare* 15, 6; = *removere* 41, 30. 35

sacra, ae = *epistola* 22, 3
salutatorium 14, 20; 20, 2; 22, 14
sanctimonia vestra 5, 19
sarsurius: opere sarsurio 16, 31
scola 6, 12; 26, 20
sinceritas vestra 38, 10
singularitas, *opp.* familiaritas 45, 4. 19
stragulum 16, 24. 27; 43, 19
subripere = *subrepere* 21, 21
superinspector 10, 1

tenere memoriter 18, 21
textrinum 26, 20
tinctura 16, 21
totus = *omnis* 23, 10
transitorie 21, 6
trapezita 48, 1

unianimiter 9, 15

vacuus = *irritus* 18, 10
velificare 45, 11
vicibus = *vicissim* 8, 7
vitiare 22, 19
vulnificus 40, 22

BR
63
F4
v.34

41612

Caesarius.
S. Caesarii Arelatensis episcopi Regula sanctarum virginum aliaque opuscula

41612

BR
63
F4
v.34

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
BR63 .F4 v.34 G
Csarius/S. Caesarii Arelatensi episcopi
3 2400 00036 3956

208
F664